MANUALE

FACULTATUM, PRIVILEGIORUM,

ET

INDULGENTIARUM

PRO SODALIBUS PRESBYTERIS

Trium Congregationum Sanctarum Missionum,

QUAE NEAPOLI SUNT ERECTAE.



NEAPOLI
APUD FERDINANDUM RAIMONDI
1839.

DEIPARAE

IN COELUM ADSUMPTAE,

APOSTOLORUM REGINAE, PURITATIS MATRI

PRESBYTERI SÆCULARES MISSIONARII TRIUM CONGREGATIONUM NEAPOLIS.

Non diu nobis, Sanctissima Virgo, fuit certe adlaborandum, cuinam hoc tam exiguum opus, quod, nostra cura, et indudustria, Animarum bono, nunc prodit in lucem, devote deberemus offerre. Tu siquidem, Coeli, Terraeque Regina, nostris mentibus occurristi primum: nec immerito; nam harum trium nostrarum Sodalitatum certo certius Tu solum peculiaris es Domina, fortis Patrona, amantissima Parens. Sic enim, non sine magna omnium laetitia, et affectu nostri cordis, in dies ab omnibus invocaris: et nos ad qualecumque

Ministerii nostri perarduum opus, in Missionibus praesertim, sive adgrediendum, sive prosequendum, sive demum perficiendum, ita praesentissimam Te semper sumus experti. Non sine ergo altissimo Divinae Providentiae consilio factum est, ut, sub tuis auspiciis gloriosis, ac sub potentissimo Patrocinio tuo, istae tres Congregationes nostrae, quae tres sanctificationis nostrae, ac gloriae nostrae domus (1) *merito dici possunt, multis abhinc annis, ad maiorem Dei gloriam, ad nostri spiritus profectum, et ad animarum salutem, inveniantur erectae. Cum enim nos valida tua protectione indigemus* (2), *ad peccatorum veniam nobis, aliisque obtinendam, ad Dei gratiam adquirendam, et ad gloriam promerendam aeternam; tunc Te deprecamur* in Coelum Adsumptam, *ut, ceu amantissima* Esther *ad Divini Assueri, Iesu Christi, Filii tui, Domini nostri Thronum, dum* adsumeris, *preces nostras* adsumas, *et eas pro nobis, efficacissima oratione tua, illi offeras semper. Cum vero auxilio tuo potentissimo nobis est opus, ut in salebrosis Apostolicis operibus nostris, et vitia profligare, et virtutes excolere, et animas*

(1) Isaiae 64 11.
(2) Ex S. Bern. de divers. Serm. 17 n. 3.

demum salvas facere possimus; tunc Te invocamus Apostolorum Reginam, *ut, tamquam* Debora *fortis, sicut illis semper praesto fuisti, in propagatione* Evangelii Pacis(1), *ad praelianda* praelia Domini (2), *ita et nobis, contra infensissimum humani generis hostem, ad reportandum ex praedicatione Divini Verbi fructum uberrimum, manum tuam benigne semper porrigas. Cum denique maternam tuam pietatem, votis omnibus, postulamus, ut, purificatis Fidelium cordibus, eos reconciliatos Deo bonorum omnium largitori, mundo corde, valeamus offerre; tunc ad Te* Puritatis Matrem *protinus confugimus: ut, veluti Castissima* Iudith, *nos tuo Materno sinu excipias, peccatores omnes poenitentiae lacrymis, bene purgatos in viam salutis aeternae dirigas, et fideles famulos tuos a quacumque adversitate, et periculo serves semper incolumes. Merito ergo Tibi hoc nostrum opusculum, qualecumque sit, tamquam filii ad Matris nostrae pedes, in genua provoluti, libenter offerimus, et dedicamus: et, eo sane consilio, ut, in adlaborando pro salute Animarum, omnes* unanimes, *et* uno

(1) Ad Ephes. 6 15.
(2) 1 Reg. 25 28.

ore, honorificemus Deum (1), *et Unigeniti Filii sui, ac Filii tui Sanguinem pretiosum, in magni Poenitentiae Sacramenti administratione, ceu* fideles Dispensatores Mysteriorum Dei (2), *rite, recteque impertiri possimus. Tu itaque suscipe illud, et praesentissima ope tua nos protege. Tu nos* custodi, *et* sub umbra alarum tuarum (3) *a quocumque imminenti malo muni semper, et serva. Tu demum nobis monstra, Te esse Matrem, et a latere tuo, ne latum quidem unguem, nos discedere sinas. Haec nobis semper praestes, oramus. Sed nos quid praestabimus tibi? Audi, Clementissima Mater, et nostra, quamvis exigua, suscipe vota. Sicut quondam ii, qui de Tribu Iuda, et Beniamin erant, se fideles adseruerint David his verbis utentes*: Tui sumus, et tecum (4); *ita et nos, qui Unigeniti Filii tui, etsi immerito, Ministri sumus, ac eius Sacerdotio copulati: unde in his electis Presbyterorum Saecularium, sacris Missionibus iam incumbentium, Sodalitiis adscripti, ex corde humili, et animo volenti, ac hilari, nunc, et in*

(1) Ad Rom. 15 6.
(2) 1. Ad Cor. 4. 1. 2,
(3) Psal. 16. 8. 9.
(4) Ex Paralip. 1. cap. 12.

perpetuum adserimus Tibi ; usi verbis iisdem : Tui sumus , et tecum. *Tuam ergo Maternam Benedictionem largiter nobis impertiri digneris , et pro nobis omnibus, nec non pro iis quoque , circa quos , in sacro munere perfungendo , cura nostra versabitur , Deum semper orare , nunc , et in hora mortis nostrae; ut quod Martyr Ignatius morti iam proximus , in corde suo audivit a Deo :* Veni ad Patrem (1) ; *unusquisque nostrum , tunc a Te mereatur audire laetanter :* Veni, Fili , ad Matrem. *Amen.*

---

(1) Ex Epist. ad Rom. cap. 7.

MONITUM

Necessarium scitu ab omnibus trium nostrarum Congregationum Sodalibus.

Sanctarum Missionum exercitia, quantum Christianae Reipublicae prosint, nemo iure ibit inficias. Quis enim non prompto, hilarique animo, adspiciet uberrimos fructus ex hoc divino instituto manantes? Unde, quaeso, depulsae ignorantiae tenebrae, inveterata odia extincta, perniciosa scandala amota, vitiorum corruptelae excisae, amandatae illecebrae, ac demum Christianae virtutes excultae? Nonne hinc ex hujusmodi sacris exercitationibus? Id sane pro comperto habentes Viri nonnulli, salutis animarum zelo succensi, postquàm huic tam eximiae erga proximum Caritatis operi se, suaque omnia tradiderint; eo potissimum animum intenderunt, ut neque, in excolenda Domini vinea, Operarii deessent; neque, in Civitate Dei custodienda, deficerent boni Milites Christi; neque, in reducendis ad divini Pastoris Ovile dispersis ovibus, Ministrorum cura tepesceret. Quare, saluberrimo consilio, diversis tempo-

ribus, tres Congregationes (1) Presbyterorum Saecularium in hac Civitate passim erigi curarunt: quo, statis diebus, non sodales tantummodo congregarentur ad ea peragenda, quae ab uniuscuiusque regulis praescribuntur, sed et ipsi Clerici omnes Neapolitani, de Archipraesulis mandato, semel in hebdomada, convenirent; ut ea praesertim exercitia, quae in sacris Missionibus fieri solent, addiscerent; sicque, post sacrorum ordinum susceptionem, idonei redderentur, et habiles, in Fratrum numero cooptari. Hinc factum est, ut huiusmodi Congregationes, veluti quaedam benevolae, ac studiosae Matres, in dies semper nova prole foecundatae, purissimum lac Evangelicae doctrinae fidelibus, tanquam filiis, usquequaque praeberent; Sacerdotum praesertim, sibi adscriptorum, Ministerio; qui, ad Superiorum nutum, nullis incommodis, laboribus, ac vitae periculis deterriti, omnium utilitati se praestant, dissitosque etiam Populos, Verbi Dei praedicatione, nec non

(1) Congregatio S. Mariae in Coelum Adsumptae, olim Ven. P. Francisci Pavonii e Societate Iesu, nunc Conferentia Sanctarum Missionum, constabilita fuit anno 1611.

Congregatio S. Mariae Reginae Apostolorum fundata fuit anno 1646. a Rev. D. Sampsone Carnovale Parrocho Cathedralis Ecclesiae Neapolitanae.

Congregatio S. Mariae Puritatis erecta fuit a Ven. P. D. Antonio Torres Piorum Operariorum, anno 1682.

Sacramentorum administratione; Deo reconciliant; unde non Civitati tantum, sed et toti Regno, et Exteris aliquando mirifice prosunt. Merito igitur Summi Pontifices, quorum nonnulli iampridem his sodalitatibus fuerunt adscripti, non modo societates istas, earumque regulas, Apostolica auctoritate comprobarunt; verum etiam, ut sodales omnes promptiores, alacriores-que ad exequendum iniuncti officii Ministerium redderentur, quamplurimis *Facultatibus*, *Gratiis*, *ac Privilegiis* eos locupletarunt. Quae omnia, licet seorsum, prout a singulis postulata sunt, fuerint concessa; ea tamen, in praesenti, omnibus his tribus Congregationibus sunt certo communia, benignitate, ac munificentia Pii Papae VI., qui, die 23 Aprilis 1784., *vivae vocis oraculo*, *Alternam*, *Promiscuam*, atque *Mutuam* trium harum Congregationum Missionariorum inter sese *Communicationem* omnino Gratiarum omnium, tam quae antea impertitae fuerant, quam quae in posterum forent impertiendae, peramanter indulsit. Et quoniam Congregatio PP. Piorum Operariorum idem sequitur institutum, sacras scilicet Missiones peragendi; idem summus Pontifex voluit, omnium Privilegiorum, ac Facultatum; quibus ipsi

iam gaudent Pii Operarii, vel quibus posthac possent cumulari, tres istas Congregationes quoque participes fieri. Verum praeter Privilegia ipsis Piis Operariis specialiter, et immediate collata, perfruuntur iidem Patres omnibus aliis Facultatibus, et Privilegiis Regularium cuiuscumque sint ordinis. Et revera, Pius VI die XIV Decembris 1792 concessit Piis Operariis, in Brevi, quod incipit: *Inter multiplices tribulationes*: « Omnia et singula Privilegia, » Indulta, Indulgentias, peccatorum Re- » missiones, Facultates, et Gratias Spiri- » tuales, omnibus, et singulis Congrega- » tionibus Clericorum, seu Regularium, » seu Saecularium, tam generaliter, quam » specialiter, ac etiam per viam commu- » nicationis collata. » Per haec verba, uti censent Canonistae, intelligitur, posse eos uti non tantum Privilegiis ipsis Congregationibus Clericorum Regularium, et Saecularium concessis, sed etiam iis, quibuscum memoratae Congregationes communicant. At nonnullas Regularium Congregationes cum omnibus religiosis ordinibus communicare certum est. Id manifeste patet in concessione Theatinae Congregationi facta a Clemente VII die 7 Martii 1733 in Bulla, quae incipit: *Dudum*, et repe-

ritur in Bullar. Rom. tom. I. Bulla 38 in qua tribuitur, *posse uti omnibus, et singulis Privilegiis quorumvis etiam Cisterciensium, et Cluniacensium Monasteriorum Monachis, et aliorum Mendicantium Ordinum Fratribus concessis, et concedendis*. Quod confirmatum fuit etiam a Gregorio XIV die V Aprilis 1591 in Brevi, quod adservatur in Archivio Sancti Silvestri Romae, uti videre est apud P. Cherubinum: in quo Brevi Pontifex concedit, *posse eos gaudere omnibus, et singulis Privilegiis . . . . quibuscumque Religionibus, Congregationibus, et Ordinibus, quocumque nomine nuncupentur, etiam Mendicantium . . . . concessis, et concedendis*. Idem dicendum de Congregatione Clericorum infirmis Ministrantium, quibus idem Gregorius XIV in Bulla, quae incipit: *Illius, qui* 1591 largitus est, *ut frui possint omnibus, et singulis quibuscumque etiam speciali nota dignis Privilegiis quorumvis etiam Cisterciensium, Cluniacensium, ac S. Benedicti Monachis, Clericis Regularibus, ae Presbyteris Collegialibus Societatis Iesu, et Canonicis Congregationis Lateranensis, et quibuscumque aliis Clericis Regularibus, et aliorum, tam Mendicantium, quam non Mendican-*

tium Ordinum , *et Congregationum Fratribus* . . . . *concessis.* Quae Privilegia etiam confirmata fuere a Clemente XIII. anno 1764 in Bulla , quae incipit *: Inter plurima, et egregia*. Itaque cum his omnibus communicant quoque PP. Pii Operarii. Sed ab hac Privilegiornm generali concessione excludebantur tres nostrae Missionum Congregationes. Nam Summus Pontifex Pius VI. nobis concessit *communicationem cum Piis Operariis tantum* : quod intelligeudum omnino erat de Privilegiis , et Facultatibus ipsi Congregationi Piorum Operariorum concessis , et concedendis , non vero de Privilegiis , et Facultatibus , quibus ipsi Pii Operarii gaudent, *ob communicationem* , *quam habent cum aliis Congregationibus* , *et Ordinibus Regularium.* Quapropter , ut tres nostrae Congregationes possent uti Privilegiis omnibus, et Facultatibus , quibus gaudent Pii Operarii , etiam *per viam communicationis ;* consulto fuit a Superioribus earum hoc quoque efflagitatum , et a f. r. Pontifice Pio VII. die 7 Martii anni 1806 benigne indultum , *quoad Privilegia Spiritualia tantum* , *et in actu sacrarum Missionum.* Quae verba , cum nonnullis visa sint aliquam adferre difficultatem , an ,

nempe, sub clausula, *quoad spiritualia Privilegia tantum*, includeretur etiam *facultas absolvendi, et dispensandi* (quae erat in primis nobis necessaria) idem Summus Pontifex Pius VII., suo oraculo, ea dignatus est explicare: adserens, verba, *quoad Spiritualia Privilegia tantum*, maxime continere « facultatem absolvendi, » et dispensandi: et ideo in decreto de die » 7 Martii 1806 fuisse adposita, ne nostrae » tres Congregationes gauderent Privilegiis » temporalibus Congregationis PP. Piorum » Operariorum, si quibus ea forte gaude- » ret » uti videre licet in Secretaria Congregationis S. Mariae in Coelum Adsumptae. His igitur omnibus, veluti solito fundamento, ita constabilitis, operae pretium erit, Privilegia omnia, quibus nostrae Congregationes gaudent, distintius enucleare; ut nostris omnibus Sodalibus innotescat, quousque eorum Facultates, et Privilegia sese extendant, iisque, prout necessitas, aut proximorum utilitas postulaverit, rite, recteque utantur in Domino. Ut autem, in re tanti momenti, suo ordine procedatur, et unicuique singillatim omnia pateant; trifariam hoc Opusculum dispescere abs re certe non erit. Prima Pars operis huius eas continebit *Facultates*, quibus Confes-

sarii omnes, cuique ex his tribus Congregationibus sint adscripti, potiuntur in foro conscientiae, tempore Missionum, aliorumque spiritualium exercitiorum. Secunda Pars enumerabit *Privilegia* omnia, quibus ditantur sodales omnes harum Congregationum, scilicet, tam ea, quibus, in Missionibus tantum, uti possunt, quam ea, quibus semper, et ubique gaudent. Tertia tandem Pars reserabit *Indulgentias* omnes, quibus locupletantur, non solum harum Congregationum Fratres, sed etiam Fideles illi, qui, vel eorum concionibus interfuerint, vel Ecclesias, in quibus sanctae Missiones peraguntur, devote visitaverint, vel Coronas, Sacras Imagines, et Numismata ab ipsis benedicta acceperint, et ea, quae ipsis adnexa sunt, opera, pie, religioseque fuerint exsequuti. Exordiamur ergo.

PARS I.

DE FACULTATIBUS ABSOLVENDI, ET DISPENSANDI, IN FORO CONSCIENTIAE, TEMPORE MISSIONUM, ALIORUMQUE SPIRITUALIUM EXERCITIORUM.

Sermonem itaque instituentibus nobis de Facultatibus, quibus hae tres nostrae Sacrae Sodalitates sunt ab Apostolica Sede ditatae, ut spiritualibus Animarum necessitatibus fiat satis; illae omnes in quadruplici Classe enumerandae, necnon dispescendae per Capita occurrunt. Aliae enim sunt, quibus *in perpetuum* gaudet Congregatio *Sanctae Mariae Reginae Apostolorum;* et nunc, ratione communicationis promiscuae, iisdem etiam potiuntur aliae duae Congregationes nostrae: et de his primum sermonem habebimus. Aliae vero sunt, quae cuique Neapolitano Archiepiscopo, tamquam Supremo Missionum Praefecto Regni Neapolis, cum potestate subdelegandi, passim ab Apostolica Sede tribuuntur: et de his, secundo loco, agemus. Aliae vero sunt, quae ipsis Superioribus Congregationum sunt concessae: et de his

tertio loco dicemus. Demum aliae sunt, quibus singuli Sodales uniuscuiusque Congregationis uti libere possunt: et eas ultimo loco recensebimus. Et quamquam permultae ex his Facultatibus inter sese apprime conveniant, maluimus tamen eas singillatim, ac seorsum transcribere; ut unusquisque prae oculis habeat, quanam potestate polleat in reservatis.

CAPUT I.

De Facultatibus, quibus in perpetuum gaudet Congregatio Sanctae Mariae Reginae Apostolorum, et per communicationem etiam potiuntur aliae duae Congregationes nostrae.

Congregatio *Sanctae Mariae Reginae Apostolorum* Cathedralis Ecclesiae Neapolitanae, iam ineunte Saeculo XVIII., anno nempe 1709 nonnullas habuit Facultates, quas nos heic subnectemus, sed ad biennium tantum a Papa Clemente XI. sibi concessas. Hae facultates de biennio ad biennium, tractu temporis, prorogatae semper fuerunt. Demum Benedictus Papa XIII. in suo Brevi dato die 15 Maii anni 1728 eas *in perpetuum* duraturas benigne indulsit.

Hinc factum est, ut, stante promiscua communicatione inter sese aliarum duarum Congragationum nostrarum, nempe *Sonctae Mariae in Coelum Adsumptae*, et *Sanctae Mariae Puritatis*, munificentia Papae Pii VI., vivae vocis oraculo; istae possint nunc iisdem Facultatibus uti, eodem sane modo, et forma pari: quod certo certius est. Non omnes tamen, in Missionibus peragendis, iis facultatibus uti possunt, sed unus ille ex Sodalibus cuiuscumque Congregationis, qui quidem bene visus Superiori, et maiori parti Consultationis, specialiter, qualibet vice, in unaquaque Missione facienda, per secreta suffragia est designandus. Casus ergo, qui *in perpetuum* sunt duraturi ad novem rediguntur.

CASUS IX.

I. *Absolvere ab Excommunicatione ob manus violentas iniectas in Clericos, vel Sacerdotes, aut Religiosos, in casibus non deductis, nec de facili deducendis ad Forum Ordinarii; dummodo non sit sequuta mors, vel mutilatio, vel ossium fractio.*

II. *Absolvere a censuris contra Duellantes inflictis; dummodo casus non fuerint deducti, nec de facili deducendi ad Forum Ordinarii.*

III. *Absolvere a censuris ob haeresim occultam, de qua Poenitens cum nemine fuerit loquutus, seu respective loquuta.*

IV. *Commutare omnia vota simplicia in alia Poenitentiae, seu Pietatis opera; exceptis quinque votis Sedi Apostolicae reservatis, videlicet Castitatis, et Religionis, ac trium peregrinationum, scilicet ad limina Apostolorum, ad S. Iacobum in Compostellis, et ad Ierusalem.*

V. *Absolvere Religiosos (exceptis semper Monialibus) cuiuscumque Ordinis, etiam in Casibus in sua Religione reservatis, in Foro Conscientiae, et in actu Missionis dumtaxat.*

VI. *Dispensare ad petendum debitum*

coniugale cum transgressoribus Voti Castitatis; monendo poenitentem teneri ad servandum idem Votum, extra usum Matrimonii, et idem Votum, si Marito, seu Uxori respective supervixerit.

VII. *Dispensare cum Incestuoso ad petendum Debitum Conjugale, cuius ius amisit per carnalem copulam, habitam cum consanguinea suae Uxoris, seu respective Mariti, cum gravi Poenitentia, et Confessione Sacramentali semel in mense, per tempus arbitrio tuo statuendum, et remota occasione peccandi.*

VIII. *Dispensare super occulta Irregularitate contracta ex violatione censurarum dumtaxat, tam cum Sacerdotibus Regularibus, quam cum Saecularibus.*

IX. *Dispensare super impedimento occulto, proveniente ex copula illicita, quando agatur de Matrimonio iam contracto cum tali impedimento, cum gravi Poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali semel in mense, per tempus arbitrio tuo statuendum, remota occasione peccandi, et monito Poenitente de renovatione consensus; caute tamen, ne delictum Poenitentis detegatur.*

CAPUT II.

De Facultatibus Poenitentiarii vulgo dicti Spinellii.

Facultates, quae heic inferius subscribentur, primum fuerunt a Benedicto Papa XIV anno 1745 collatae Eminentissimo Cardinali Iosepho Spinellio, Archiepiscopo Neapolitano, tamquam Supremo Sanctarum Missionum in Regno Neapolis Directori, cum potestate subdelegandi. Ex eo igitur tempore, quoties caritas Christi nostros urgens Sodales, ipsos compulit eo se conferre, quo, ad Apostolicum munus exsequendum, vocarentur; Superior illius Congregationis, ad quem Sanctum hoc negotium pertinebat, accepta prius Facultate ab Archiepiscopo, unum ex Fratribus digniorem putatum eligebat, qui tali Facultate, super casus nunc recensendos, frueretur. Hinc factum est, ut is, qui hac Facultate praeditus erat, passim Poenitentiarius Spinelli ab aliis diceretur. Quae quidem Facultas, cum uniuscuiusque Archiepiscopi Neapolitani Personae simul, et muneri fuerit concessa; iam patet, alterutro cessante, eam quoque procul dubio expi-

rare. Quare id non sine consilio advertentes Archiepiscopi Successores, unusquisque eorum, ad praesens usque tempus, novis postulationibus, eamdem Facultatem ab Apostolica Sede obtinere semper omni studio curavit.

Ex dictis ergo certo nobis est colligendum, neminem Superiorem cuiuscumque Congregationis posse eligere recensendorum casuum Poenitentiarium, nisi prius Facultatem obtineat ab ipso Archiepiscopo, a quo, pro singulis Missionibus, ea peti debeat: et in eius absentia ab alio tribui non posse, nisi tantum ab illo, qui eius vices cum plenitudine potestatis exercet, vel ab eo, cui ipse Archiepiscopus subdelegavit. Insuper advertendum, quod in Missionibus, quae fiunt, vel Sede Neapolitana vacante, vel eo tempore, quo novus electus Archiepiscopus nondum ab Apostolica Sede has Facultates fuerit adeptus; nullus harum Congregationum Superior iis uti valide possit. Casus ergo, de quibus ad praesens est sermo, sunt isti quatuordecim.

CASUS XIV.

I. *Absolvendi ab Excommunicatione ob manus violentas in Clericum iniectas, in casibus tamen non deductis, nec de facili ad Forum Ordinarii deducendis; dummodo non sit sequuta mors, aut mutilatio, vel ossium fractio, satisfacta parte.*

II. *Absolvendi a Censuris contra Duellantes inflictis, dummodo Casus deducti non fuerint, nec de facili deducendi ad Forum Ordinarii.*

III. *Absolvendi a Censuris, ob haeresim occultam, quam nemini, et cum nemine Poenitens communicaverit: vel dummodo actus externos, ex quibus dignosci potuisset pro haeretico, nullus, quem ipse sciat, aut credat, notaverit, vel adverterit; praevia abiuratione in manibus tuis secrete facienda, iniuncta Poenitenti gravi Poenitentia salutari, cum frequentia Sacramentorum.*

IV. *Absolvendi eos, qui libros prohibitos legerunt; dummodo haeresim ex huiusmodi lectione Poenitentes non hauserint, consignatis prius libris, sive vobis, sive loci Ordinario, si sint in potestate Poenitentis.*

V. *Absolvendi Religiosos cuiuscumque*

sint Ordinis, Congregationis, vel Instituti, etiamsi ex praescripto Superiorum, vel eorum Constitutionibus, etiam a Sede Apostolica adprobatis, vel alias ex Indulto Apostolico extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur, etiam a Casibus in sua Religione reservatis.

VI. *Commutandi omnia vota simplicia in alia Poenitentiae, seu Pietatis Opera, exceptis quinque Votis Sedi Apostolicae reservatis, scilicet Castitatis, et Religionis, ac Trium Peregrinationum, nempe ad Ss. Apostolorum limina, ad S. Iacobum in Compostellis, et ad Ierusalem.*

VII. *Dispensandi super impedimento occulto, proveniente ex copula illicita primi, vel primi et secundi, vel secundi tantum affinitatis gradus; dummndo agatur de Matrimonio iam contracto, monito Poenitente de obligatione renovandi consensum, tacite tamen, ne Poenitentis delictum detegatur cum alio, seu alia putata, seu alio putato Coniuge, injuncta ei gravi Poenitentia salutari, et confessione Sacramentali semel in mense, per tempus arbitrio vestro statuendum, et remota occasione amplius peccandi cum consanguinea, quem, vel quam ante contractum Matrimonium carnaliter cognoverat.*

VIII. *Dispensandi super eodem impedimento occulto gradus affinitatis, etiam quando agitur de Matrimonio contrahendo: dummodo nequeat, ob periculum scandalorum, scribi, et expectari a Sacra Poenitentiaria Dispensatio cum eisdem Poenitentibus.*

IX. *Dispensandi super impedimento occulto Criminis, in iam contracto Matrimonio, et in contrahendo; quando pariter nec scribi, nec expectari possit, ob periculum scandalorum, a Sacra Poenitentiaria Dispensatio.*

X. *Dispensandi super impedimento occulto sive tertii, sive quarti gradus Consanguinitatis, super quo fuit obtenta Dispensatio in Dataria Apostolica, et in litteris huiusmodi Dispensationis fuerit tacita copula occulta, tam de Matrimonio contracto, quam de contrahendo, iniunctis in omnibus Casibus Poenitentibus de iure iniungendis.*

XI. *Dispensandi cum eo, qui se inhabilem reddidit ad petendum debitum ex copula cum Consanguineis coniugis, sublata occasione amplius peccandi, cum Sacramentali Confessione semel quolibet mense, per tempus arbitrio tuo praescribendum.*

XII. *Dispensandi in irregularitatibus, et suspensionibus ex delicto occulto provenien-*

tibus (excepta ea , quae oritur ex homicidio voluntario , et exceptis aliis deductis ad Forum Contentiosum) in Foro Conscientiae tantum , imposita salutari Poenitentia.

XIII. *Habilitandi ad Sacrosancti Sacrificii Missae celebrationem eos, qui sollicitaverunt ad turpia , vel in actu Sacramentalis Confessionis , vel illius occasione, aut praetextu: illosque pariter, qui Missae Sacrificio abusi sunt ad sortilegia, quoad Forum Conscientiae tantum , et in actu Sacramentalis Confessionis.*

XIV. *Demum recipiendi Denunciationes, absque Notario , eorum , qui fueruut sollicitati ad turpia , vel in actu Sacramentalis Confessionis , sive illius occasione , aut praetextu ; ita tamen ut de licentia denunciantis tenearis illam loci Ordinario consignare , aut ad SS. Dominum nostrum Benedictum XIV. (ejusque successores) quam citius transmittere.*

CAPUT III. (1).

De Facultatibus, quae Superioribus trium nostrarum Congregationum sunt concessae, et ab iisdem, pro missionibus peragendis, et exercitiis tribuendis, duobus Fratribus committuntur.

Cum praecipuus Sanctarum Missionum scopus sit Fidelium spiritualibus indigentiis, et saluti prospicere, id revera in illis nunquam poterit obtineri, nisi praesertim opera eorum, qui convenienter, ac recte, pro ut necessitas, vel utilitas Animarum postulaverit, facultatibus praesertim in praecedenti Capite enunciatis ad aedificationem utantur, veluti quodam efficaciori remedio ad earum aegrotantium vulnera quasi insanabilia peropportune curanda. At cum non semel evenire posset, Missiones eo praesertim tempore peragi, quo praedictis facultatibus nostrae Congregationes carerent, ob rationes superiori Capite reseratas: et hinc Sodales earum maximo moerore affici; quia Animas Christi Sanguine redem-

(1) His facultatibus nunc non perfruuntur nostrae Congregationes ob clapsum temporis; verum nostri superiores alias fere simillimas facultates ab Apostolica Sede obtinuerunt, quae ab iisdem communicari possunt Sodalibus sacris Missionibus addictis, quando eis videbitur.

ptas, iisdem criminibus irretitas, in quibus diu, multumque fuerint versatae, saepe deserere cogerentur; huic malo, maxima sedulitate, occurrere studuit Dominicus de Iorio Episcopus Samariae. Ipse enim, dum Congregationis Sancte Mariae in Coelum Adsumptae, sive nunc Conferentiae Sanctarum Missionum Praefectus esset, ac Superior, enixe postulavit ab Apostolica Sacra Poenitentiaria, ut tam sibi, quam illis, qui, in eodem munere Praefecturae eiusdem Congregationis, sibi imposterum succederent, Facultates nonnullae ab antecedentibus haud dissimiles tribuerentur. Petitioni huic Illustrissimi Viri annuens Sacer Poenitentiarius Romae, Apostolica, qua fungebatur, auctoritate, facultates, quae inferius subscribentur, quaeque a supradictis paulo sunt discrepantes, benigne indulsit: iudulsit tamen ipsi Venerabili Episcopo Samariae, uti Superiori Congregationis SS. Adsumptionis, vulgo Conferentiarum, eiusque successoribus, cum potestate easdem communicandi duobusPresbyteris Confessariis eiusdem Congregationis, pro unaquaque Missione habenda, et spiritualibus exercitiis tribuendis, specialiter tamen ab ipso Congregationis Superiore designandis, et sub secreto servando,

nempe ut non debeant ab ipsis manifestari, nisi necessitas, aut utilitas id postulaverit, neque illis uti valeant, nisi pro Foro Conscientiae, et in Sacramentali utriusque sexus Christifidelium confessione. Porro huiusmodi Facultates sub recensitis conditionibus, Superiori Congregationis Sanctae Mariae in Coelum Adsumptae concessae fuerunt per decennium tantum, computandum a data expeditionis earundem, nempe a die XXX. Decembris 1802. Hinc aliae duae Congregationes nostrae, videlicet Sanctae Mariae Reginae Apostolorum, et Sanctae Mariae Puritatis, quamvis cum hac Sanctae Mariae in Coelum Adsumptae communicent; iis tamen Facultatibus uti iure omnino non poterant; nam iuxta Salmaticenses *de Privilegiis* Cap. I. n. 118., ceterosque Auctores ibi citatos, idest Bordon. Lezan. Anton. a Spiritu Sancto, Hieron. Garz., et Petrum ab Angelo, non veniunt per viam communicationis Privilegia, quae conceduntur ad fixum, determinatumque tempus. Ut igitur aliae duae Congregationes Missionum earumdem etiam Facultatum possent fieri participes, nova supplicatione id fuit pro ipsis etiam ab Apostolica Sede petitum. Sedes Apostolica benigne indulgens, totum remisit Cardinali

Archiepiscopo Neapolitano; qui, cum absens esset, eius Vicarius Generalis, D. Dominicus Pesce, die III. Iunii 1806. petitioni illi suum praebuit adsensum, et votum. At quoniam nunc iam erat in proximo, ut hae tres Congregationes nostrae huiusmodi Facultatibus privarentur; quia tempus abierat: caute obtentum est, ut Facultates aeedem ad aliud decennium prorogarentur, incipiendo etiam a die XXX. Decembris praeteriti anni 1812. in posterum. Haec prorogatio constat ex legitimo documento, sub die V. Decembris eiusdem praeteriti anni 1812., quod adservatur in Secretaria Congregationis Sanctae Mariae in Coelum Adsumptae. His igitur ita stantibus, nunc quilibet harum trium Congregationum Superior, praeter unum Poenitentiarum, vulgo Spinellii, quem, ut supra dictum est, in singulis Missionibus, obtenta prius ab Archiepiscopo Facultate, vel ab alio eius vices gerente, cum plenitudine potestatis, potest eligere, quoties ad Sacras Missiones peragendas, vel ad spiritualia exercitia tribuenda Sodales nostri a Congregatione destinantur; ex his seligere etiam potest et alios duos, qui Facultatibus, quae nunc hic subnectentur, omnino sint praediti. Casus ergo isti, de quibus nunc loquimur, sunt tredecim.

CASUS XIII.

I. *Absolvendi ab Excommunicatione ob manus violentas iniectas in Clericos, aut Presbyteros, sive Saeculares, sive Regulares, in casibus tamen non deductis, nec de facili ad Forum Ordinarii deducendis; dummodo non sit sequuta mors vel mutilatio, seu lethale vulnus, aut ossium fractio; iniuncta congrua Poenitentia salutari, cum obligatione caute, et competenter satisfaciendi Parti laesae.*

II. *Absolvendi a Censuris contra Duellantes inflictis; dummodo casus ad Forum Ordinarii non fuerint deducti: iniuncta gravi Poenitentia salutari, et aliis iniunctis, quae fuerint de iure iniungenda.*

III. *Absolvendi a Censuris ob haereses, tam occultas, quam coram aliis manifestatas, incursis, quoscumque Poenitentes, etiam dogmatizantes, postquam tamen Poenitens Complices, si quos habeat, Ordinario loci, vel S. Inquisitionis Ministro, in locis, in quibus viget S. Inquisitionis Auctoritas, pro ut de iure, denunciaverit: in aliis vero locis, facta a Poenitente seria promissione denunciationem peragendi, cum primum, et meliori modo, quo iudicio tuo,*

fieri poterit coram Ordinario loci: praevia, in singulis casibus, haeresum abiuratione, ac detestatione in tuis manibus secreto facienda: iniuncta gravi pro modo culparum Poenitentia salutari, cum frequentia Sacramentorum, et obligatione se, prudenti iudicio tuo, retractandi apud Personas, coram quibus haereses manifestavit, et reparandi illata scandala.

IV. *Absolvendi a Censuris incursis, ob violationem Clausurae Regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit cum intentione ad malum finem, etiam effectu non sequuto, et dummodo Casus non fuerint ad Forum Ordinarii deducti, cum congrua Poenitentia salutari.*

V. *Absolvendi a Censuris, ob retentionem, et lectionem librorum prohibitorum incursis, postquam tamen Poenitens libros prohibitos, quos in sua potestate retineat, Ordinario loci, seu alii, cui de iure, consignaverit, vel consignandos tibi dederit; iniuncta congrua Poenitentia salutari.*

VI. *Absolvendi a Casu Sedi Apostolicae reservato, ob accepta munera a Regularibus utriusque Sexus; iniuncta Poenitenti, quando agitur de muneribus infra valorem decem Scutorum, aliqua eleemosyna, iudicio tuo taxanda, et caute ero-*

ganda., cum primum poterit, in beneficium Religionis, cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet, quod illa fuerint de bonis propriis Religionis: quatenus vero accepta munera, vel fuerint ultra valorem Scutorum decem, vel constet fuisse de bonis propriis Religionis; facta prius restitutione; quam si de praesenti adimplere nequeat, praestita in tuis manibus obligatione restituendi intra terminum, tuo arbitrio praefiniendum, alias sub reincidentia.

VII. *Absolvendi Religiosos cuiuscumque Ordinis, exceptis Monialibus, nisi fueris pro ipsis ab Ordinario loci adprobatus, vel Deputatus, non solum a praemissis, sed etiam a Casibus, et Censuris in sua Religione reservatis.*

VIII. *Commutandi, consideratis causis, omnia Vota simplicia in alia Poenitentia, seu pietatis opera: exceptis quinque Votis Sedi Apostolicae reservatis, scilicet Castitatis, et Religionis, ac trium Peregrinationum, nempe ad Sacra SS. Apostolorum limina, ad S. Iacobum in Compostellis, et ad Ierusalem: nec non votis poenalibus ad sese arcendum a peccatis; et insuper voto non ludendi, ac votis, in quibus agitur de praeiudicio, vel de iure Tertii.*

IX. *Dispensandi ad petendum debitum coniugale cum transgressore Voti Castitatis, qui Matrimonium cum dicto Voto contraxerit; monendo huiusmodi Poenitentem ad idem Votum servandum teneri, tam extra licitum usum Matrimonii, quam si Marito, seu Uxori respective supervixerit.*

X. *Dispensandi cum incestuoso, sive incestuosa ad petendum debitum coniugale, cuius ius amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea, vel consanguineo, sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suae uxoris, sive respective Mariti, remota occasione peccandi, et iniuncta gravi Poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali semel quolibet mense, per tempus arbitrio tuo statuendum.*

XI. *Dispensandi super occulto impedimento primi, nec non primi et secundi, atque secundi tantum gradus affinitatis, provenientis ex illicita copula, quando agatur de Matrimonio cum dicto impedimento iam contracto: ita tamen, ut si eiusmodi affinitas proveniat ex copula cum Matre desponsatae, nativitas desponsatae copulam ipsam antecedat: monito Poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata Uxore, vel suo putato Marito,*

certiorato, seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius delictum nusquam detegatur; remota occasione peccandi, atque iniuncta gravi Poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali semel in mense, per tempus arbitrio tuo statuendum.

XII. *Dispensandi super impedimento occulto criminis, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio iam contracto; monitis putatis coniugibus de necessaria secreta renovatione consensus, ac iniuncta gravi Poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali semel quolibet mense, per tempus arbitrio tuo statuendum.*

XIII. *Item dispensandi super occulta irregularitate contracta ex violatione censurarum dumtaxat cum Sacerdotibus, vel in Sacris Ordinibus constitutis, tam Saecularibus, quam Regularibus.*

Praeterea Facultatem dispensandi super occulta irregularitate, concessam num. XIII extendimus etiam ad irregularitatem, pariter occultam ex procuratione abortus, effectu sequuto, contractam; citra tamen ullam rehabilitationem ad assequenda Beneficia Ecclesiastica, vel Officia, et Dignitates Religionis, si Poenitens sit Regularis.

CAPUT IV.

De Facultatibus, quibus Sodales omnes harum trium nostrarum Congregationum, tempore Missionis, ipsi per se perfruuntur.

Hactenus de illis Facultatibus, quae nonnullis selectis Sodalibus a Superiore uniuscuiusque Congregationis in singulis Missionibus, vel exercitiis spiritualibus peragendis, committuntur, sermonem fecimus; nunc progrediamur ad eas enumerandas, quas omnibus, et singulis Sodalibus nostris harum trium Congregationum communes esse, ac promiscuas fecit Munificentia, et Benignitas felicis recordationis Pii Papae VI. Dum enim Mense Aprilis anni 1784 Summus Pontifex moraretur Anxure, vulgo Terracinae, quo concesserat ad invisendas Pontinas Paludes; nonnulli ex Fratribus Congregationis Sanctae Mariae Puritatis, Neapoli erectae in aedibus Divi Georgii Patrum Piorum Operariorum, suum peragentes iter ad Civitatem Interamnae communiter dictam Teramo, ut ibi Missiones haberent, ad Sancti Patris pedes deosculandos comiter fuerunt admissi. Post colloquium cum eis habitum a Supremo Pa-

store, hi ausi sunt loqui ad eum, et perplura ab eo humiliter postulare: quae omnia ad eorum petitionem Summus Ecclesiae Rector benigne, ac peramanter indulsit. De his omnibus, suo loco, aptius dicemus. Interim, en quod praesertim voluit Summus Pontifex; voluit nimirum, has nostras tres Congregationes Missionum communicationem inter sese habere promiscuam omnium omnino Gratiarum, quae singulis earum seorsum adhuc impertitae fuerunt, vel posthac impertiendae forent in posterum; iisque uti posse Sodales omnes eis adscriptos, non modo, quando simul, et coniunctim Sacris Missionibus vacant, sed etiam, ubi Spiritualibus Exercitiis, Triduis, aut Novenis incumbunt; etsi ista omnia proprio, ac peculiari nomine peragantur: et demum his tribus nostris Congregationibus, summa benignitate fuit largitus communicationem etiam omnium Facultatum, et Privilegiorum, quae hactenus Congregationi Piorum Operariorum fuerunt concessa, vel forent in posterum concedenda: quae quidem omnia postea Pius VII. felicis recordationis ampliavit quoad Privilegia Spiritualia tantum, quibus gaudent ipsi Pii Operarii, ob communicationem, quam habent cum omnibus aliis Re-

ligiosis Ordinibus, uti supra fusius in Monito declaravimus. Haec autem, et alia, sic litteris mandata, et suo Ordine coram Pontifice perlecta, die XXIII. Aprilis anni 1784. *vivae vocis oraculo*, *in perpetuum* ab eodem fuisse concessa, quotquot ibi Terracinae tunc aderant Presbyteri Missionarii, etiam iureiurando testati sunt in publico suae Congregationis Conventu, praesentibus adm. Rev. P. D. Roberto Mordente Piorum Operariorum, eiusdem Congregationis Directore, et Consultoribus: quam Attestationem ad perpetuam rei memoriam, unusquisque eorum propria manu subscripsit, die IX. Mensis Augusti eiusdem anni 1784. postquam Neapolim fuerunt regressi. Verum haec omnia tot locupletissimis testibus munita, et in comperto semper habita ab omnibus; progressu temporis in dubium revocare nonnulli sunt ausi, arbitrantes, per mortem concedentis, expirare quidquid *vivae vocis oraculo* tantum fuerat collatum. At istorum ambiguitatem, et hallucinationem quoque de medio tulit idem summus Pontifex Pius VII. Hic enim super proposito dubio consultus per litteras scriptas die XII. Decembris anni 1807. a Reverendissimo Bartholomeo Menochio, Episcopo Porphyriensi,

Sacrista, et Sanctitatis suae Confessario (quae quidem litterae adservantur in Secretaria Congregationis S. Mariae in Coelum Adsumptae) sua auctoritate, dignatus est *in perpetuum confirmare concessiones omnes, quas, vivae vocis oraculo, suus Praedecessor Pius VI. his tribus nostris Congregationibus iampridem benigne fuerat elargitus*. Nullus ergo de hac re relinquitur dubitandi locus. Interim, quod ad hoc Caput pertinet, nempe quod pertinet ad Facultates, quibus unusquisque Sodalium nostrarum trium Congregationum ipse per se, tempore Missionis, vel Exercitiorum, potitur; duo in primis sunt necessaria scitu. I. Est, praeter Facultates illas, quibus omnes nostri Sodales, cuiuscumque Congregationis sint, perfruuntur, ob communicationem, quam habent cum Piis Operariis, Pium VI., *vivae vocis oraculo*, omnibus, et singulis nostris Sodalibus specialissimam hanc Facultatem fuisse impertitum, absolvendi nempe, tempore Missionis, Haereticos etiam publicos, et dogmatizantes, facta prius in manu Confessarii Missionarii suorum errorum abiuratione. II. Est, Pios Operarios nonnullis harum Facultatibus bene uti posse, in Missionibus tantum, nonnullis aliis vero, etiam

quovis alio anni tempore: Nos autem non sic, sed iisdem omnibus posse perfrui, eo tempore, quod in singulis subiectis facultatibus exprimitur. His itaque in antecessum ita constitutis, en facultates, quibus Sodales omnes nostrarum trium Congregationum ipsi per se potiuntur.

FACULTATES VII.

I. *Specialissima Facultas est nobis, ut iam modo praemisimus, absolvendi, tempore Missionis, haereticos etiam publicos, et dogmatizantes, facta prius in manu Confessarii Missionarii suorum errorum abiuratione.*

Facultas haec constat ex iis, quae *vivae vocis oraculo* Pius VI. concessit, die 23. Aprilis anni 1784. *in perpetuum.*

II. *Nobis Facultas est absolvendi omnes, et singulos Christifideles a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque quibusvis Ecclesiasticis sententiis, Censuris, et Poenis, quavis occasione, vel Causa, quomodolibet latis: nec non ab omnibus, et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, ac delictis quantumqumque gravibus, et enormibus, etiam in Casibus Apostolicae Sedi reservatis, vel in posterum reservandis, exceptis tamen excipiendis, ac, pro commissis, poenitentiam salutarem eis iniugendo.*

Facultas huiusmodi constat, tum ex Brevi Benedicti XIII. sub die 15. Maii 1728. dato Congregationi *Sanctae Mariae Reginae Apostolorum*, quod in eius Secretaria

adservatur, tum ex Sixto V. in Bulla, quae incipit: *Decet Romanum Pontificem*, data die 5 Septembris 1586. Congregationi Oratorii, cum qua nunc PP. Pii Operarii communicant. Hac Facultate potiuntur omnes Sodales nostrarum trium Congregationum, non solum tempore Missionis, sed etiam tempore Exercitiorum, Novenarum, et Triduorum, quia facultate in citato Brevi Benedicti XIII. contenta, modo ex Pii VI. concessione die 23. Aprilis 1784. omnes Sodales harum trium Congregationum perfruuntur, etiam tempore Exercitiorum, Novenarum, et Triduorum.

Qui Excommunicationes, suspensiones, et interdicta, nec non casus omnes Apostolicae Sedi reservatos, videre desiderat, adeat P. Pisellium, vel Fulgentium Cuniliati, in suo opere Morali.

III. *Inter casus, qui solent, generali Facultate, concedi, semper excipiuntur sex casus reservati a Clemente VIII., qui vulgo audiunt, extra Urbem, et intra Italiam. Hi sunt:*

1. *Violatio immunitatis Ecclesiasticae.*
2. *Violatio Clausurae Monialium ad malum finem.*
3. *Iniectio manus violentae in Clericum.*
4. *Provocatio, et Pugna in Duello.*

5. *Simonia realis scienter contracta.*

6. *Confidentia Beneficialis.*

Esto ergo hi sex casus semper excipiantur, in generali Concessione; attamen Pius VI die 2 Maii 1789. *Facultatem tribuit Congregationi* Passionis *absolvendi ab iisdem, tempore Missionis. Cum hac Congregatione communicant Pii Operarii; ideoque Sodales nostrarum trium Congregationum eadem Facultate bene uti possunt, sed tempore Missionis tantum. Notandum vero, quod haec praefata Facultas absolvendi, est in Casibus non deductis, nec de facili ad Forum Ordinarii deducendis.*

IV. *Item est nobis quoque Facultas absolvendi scienter legentes, retinentes, imprimentes, nec non defendentes libros Haereticorum, continentes haeresim, vel de Religione tractantes, servatis tamen servandis, quae ante absolutionem a iure apposita sunt: nimirum et quoad abiurationem, in manu Confessarii faciendam, si ex tali lectione Poenitentes errores hauserint, et quoad damnatos libros Ordinario loci, vel per se, vel per alium consignandos, aut alteri, cui de iure, si in eorum potestate extiterint; et tandem, amoto scandolo, si quod tali occasione, fuerit inductum.*

Pius VI. in suo brevi, quod incipit: *Sacrosanctum Apostolatus*, sub die 21. Augusti 1789. Facultatem hanc tribuit Congregationi *SS. Redemptoris*. Qua facultate uti possumus tantum tempore Missionis.

V. *Alia Facultas nobis est quoque, ut nempe, Sodales nostri inter sese ubique locorum, possint excipere Confessiones, tam tempore Missionis, quam in itinere.*

Facultas haec obtenta fuit a Benedicto XIV. in perpetuum, sub die 24. Maii 1751. ad petitionem Congregationis *Sanctae Mariae Reginae Apostolorum*, in cujus Secretaria extat Rescriptum.

VI. *Nobis ominibus est etiam Facultas commutandi omnia vota simplicia in alia Poenitentiae, ac Pietatis Opera, exceptis quinque votis Pontifici reservatis.* (*Ita ex Rescripto Benedicti XIII. die* 5. *Mensis Septembris* 1626. *dato ad Congregationem* Sanctae Mariae in Coelum Adsumptae: *in quo habetur, quod* gratia valeat per simplex Rescriptum, sine expeditione litterarum, tamquam si fuisset Gratia expedita per Breve: *et extat in Secretaria eiusdem Congregationis*). *Facultate hac potimur, tempore Missionis, nec non tempore Exercitiorum, Novenarum, ac Triduorum ex eadem Concessione Pii Papae VI.*, vivae

vocis oraculo. *Per Communicationem vero cum Piis Operariis, et per ipsos cum aliis Regularibus, extenditur praefata Facultas commutationis, etiam ad vota iurata, dummodo in alterius praeiudicium non cadunt. (Ita Paulus III. in Bulla*, cum inter cunctas *apud Confectium pag.* 151, *et Gregorius XIII. in Bulla, quam refert Bordonius tom. I. Resolut.* 15.) *Hac autem Facultate, quia eam habemus per communicationem cum aliis, potimur solum tempore Missionis.*

VII. *Tandem Sodales omnes nostri tempore Missionis dumtaxat, possunt etiam dispensare in votis Saecularium, exceptis quinque Summo Pontifici reservatis, nec non iis exceptis, quae speciali iure Episcopis sunt reservata.*

Id constat ex pluribus Privilegiis Pontificiis, praesertim Eugenii IV. pro Confessariis Ordinis S. Benedicti, nec non Sixti IV. et Innocentii VIII. pro Confessariis Ordinis Minorum.

Atque haec de Facultatibus a diversis Summis Pontificibus, diversis temporibus, his tribus nostris Congregationibus satis abunde concessis.

APPENDIX

DE FACULTATIBUS AB ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO NOSTRIS CONGREGATIONIBUS CONCESSIS.

Ad nostrarum ergo Congregationum saluberrimum institutum non pertinet tantummodo Missionibus, quae in Civitate, et Dioecesi Neapolitana, nec non in aliis Regni locis, et quidem statis temporibus, fiunt, sedulo incumbere; sed etiam permagnam gerere curam miserabilium, qui, vel languent in Xenodochiis, vel in Carceribus detinentur, vel commorantur in Pauperum Hospitiis, aliisque Conservatoriis, tam virorum, quam mulierum; nec non demum et operam dare exercitiis exterorum Clericorum, qui ex variis Regni Dioecesibus Neapolim advenientes, Congregationi, quae, singulis Dominicis, habetur in Archiepiscopali Palatio, intersunt, et studiosae iuventutis, quae etiam, singulis Dominicis diebus, suae Congregationi in eodem Archiepiscopali Palatio, praesto est, et Artificum, aliorumque, qui, diurno

tempore, laboriosis operibus addicti ad suae, suorumque vitae substentationem, serotinis horis, in quibusdam Sacris Ædiculis, per varias Urbis huius regiones sparsim erectis, coadunantur. Ad haec opera omnia rite, recteque peragenda, nostrarum Congregationum Superiores, in unoquoque loco, nonnullos ex Sodalibus costituunt, veluti Praefectos, qui ope, et auxilio aliorum sociorum, iuxta operis indigentiam, alios rudimentis fidei imbuunt, alios Verbi Dei praedicatione, tamquam Coelesti pabulo, enutriunt, alios Sacramentorum frequentia; quibus, vel ad vitam redeant, si peccatores, vel si iusti, in eadem spirituali vita, de die in diem, proficiant, sollerter corroborant. Hinc, sicuti Romani Pontifices, ad magis magisque Sanctarum Missionum promovenda exercitia, nostras Congregationes Pontificiis Facultatibus, ac Privilegiis locupletarunt, ita et Neapolitani Antistites nostri harum Sodalibus, qui praefatis operibus caritatis, maximo Fidelium emolumento, quotidie attendunt, suas quoque Facultates Spirituales largiter concesserunt. Igitur non putamus esse alienum a re, si, in hujus operis primae partis calce, quae de Facultatibus agit, post illas expositas, quae a Summis Pontificibus sunt

collatae, etiam Episcopales breviter decurramus, ut ex iis quoque unicuique nostrum innotescat, quanam earum uti possit, tempore Missionis, aliorumque exercitiorum, et quanam, aliis temporibus, dum nimirum, Congregationis operibus tantum vacare studet. Et quamvis hae Facultates Episcopales non sint nobis perpetuae, cum ab arbitrio, nutuque pendeant cuiusque Archiepiscopi; nullus tamen eorum huc usque, vel ab antiquis temporibus, eas adimere putavit, quin potius magis, ac magis semper augere. Illas itaque nunc tantum heic referemus, quae, nostra aetate, ab Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo Aloysio Ruffo de Scylla f. r. concessae sunt, in suo folio de die XV Septembris 1803 ad nostras Congregationes transmisso, et manu quoque Canonici Secretarii obsignato. Quod ad has ergo pertinet Facultates, tria quoque distinguimus. 1. Quid possit unusquisque Sodalium nostrorum, tam in Missionibus, quam in aliis operibus Congregationis. 2. Quid possit Superior Missionis, et duo alii Poenitentiarii ab eo designati. 3. Quid possit demum Praefectus destinatus ad nonnulla exsequenda opera Congregationis.

Et quod pertinet ad primum:

I. *Omnes Confessarii, ad exsequenda opera suae Congregationis designati, habent facultatem omnium Casuum reservatorum, qui vulgo dicuntur*, a nobis, *exceptis excipiendis.*

II. *Omnes Confessarii nostri facultatem habent etiam omnium casuum reservatorum, qui vulgo dicuntur* Nobis, *et commutandi Vota, tempore Missionis, et spiritualium exercitiorum, quae fiunt ad instar Missionis, et nomine Congregationis.*

III. *Omnes Confessarii, etiam extra Missionis, vel Exercitiorum tempus, eadem supradicta Facultate casuum, qui dicuntur* Nobis, *et commutandi vota, potiuntur; toto anni tempore, pro Regali Pauperum Hospitio, pro Hospitalibus, et pro Carceribus.*

IV. *Omnes Confessarii, tempore Missionis, domi, in qua hospitantur, habent Facultatem excipiendi Confessiones, pro viris autem.*

Quod pertinet ad secundum.

I. *Superior missionis, et duo alii Sodales designati Poenitentiarii, aut a respectiva Congregatione, aut ab ipsomet Superiore Missionis, gaudent facultate capit.* Liceat, *et dispensandi vota, nec non dispensandi ad petendum debitum. Item re-*

cipiendi denunciationes, *sed tantum tempore Missionis.*

II. *Superior Missionis*, *et duo alii Sodales designati Poenitentiarii*, *ut supra*, *potiuntur quoque Facultate casuum specialis*, *et specialissimae mentionis*, *qui vulgo appellantur Casus* Sibi.

Demum quod pertinet ad Tertium.

Praefecti Hospitalium, *Carcerum*, *et Regalis Pauperum Hospitii ipsi quoque perfruuntur Facultate casuum specialis*, *et specialissimae mentionis*, *qui dicuntur* Sibi.

PARS II.

DE PRIVILEGIIS.

Laboriosum certo, sed laudabile omnino Evangelicae Praedicationis Opus a Christo Domino, dum ageret in humanis, divinitus incoeptum, et ab eodem suis Apostolis commendatum, his verbis: *Euntes in Mundum universum, praedicate Evangelium omni Creaturae* (1); Sacerdotes qui *Pietatis, ac Religionis sunt Magistri* (2), Sanctis Missionibus addicti, quantum in ipsis est, Deo adiuvante, prosequi procul dubio nituntur. Hi siquidem ab Ecclesiae Pastoribus accersiti, ut, sicut in eorum adiutorium sunt ordinati, ita eos in suis laboribus adiuvarent, quoad Animarum salutem in Domino procurandam; posthabitis curis omnibus, nullis deterriti difficultatibus, et despectis etiam quibuscumque vitae periculis, longo itineri se committunt, et remotas quoque petunt regio-

---

(1) Marci 15. 16.
(2) S. Clem. in Constit. Apostol.

nes, ut perditos homines reconcilient Deo, et ad Ecclesiae sinum, ceu ad sinum Matris, laetos filios laeti perduçant. Quapropter non immerito Summi Pontifices, ad quos Universalis Ecclesiae regimen pertinet, non modo haec tria Missionum Sodalitia nostra suis Facultatibus locupletarunt, ut vere Poenitentibus opportunum praeberent auxilium, riteque eorum Spirituali saluti consulerent; sed etiam cunctos harum Congregationum Sodales quam plurimis Privilegiis exornarunt, ut ab exantlatis, perpessisque laboribus sese reficerent, et ad susceptum munus alacriter obeundum magis, ac magis in dies promptiores redderentur, et apti. Haec itaque Privilegia, quae modo explananda suscipimus, trifariam partiri putavimus. Alia enim *Missae Sacrificium* respiciunt. Alia *ad Divini Officii recitationem* spectant. Demum alia circa impertiendas *Benedictiones* versantur. Tria haec, tribus sequentibus Capitibus, clare, ac distincte enucleabimus.

CAPUT I.

De Privilegiis circa Sacrosanctum Missae Sacrificium.

I. Privilegium, quo potiuntur omnes Sodales harum trium nostrarum Congregationum, locum respicit celebrationis Missae. Hoc fuit indultum a Papa Pio V. die 12 Iulii anni 1779. Congregationi *Sanctae Mariae Reginae Apostolorum* in Cathedrali Ecclesia Neapolis erectae. Pontifex enim, in suo Rescripto, concessit, ut Sacerdotes Congregationis praedictae « durante Missio-
» num tempore, et in quocumque loco
» eas habuerint, in domo eorum habita-
» tionis Altare possint erigere, et super
» eo, dummodo in honestiore domus parte
» collocetur, sitque sacrato lapide, ac
» Cruce, ceterisque necessariis suppellecti-
» libus instructum, et decenter ornatum,
» et accedente Ordinariorum respectiva lo-
» corum licentia, Missae Sacrificium, e-
» tiam per unam horam ante Auroram,
» quilibet ipsorum celebrare libere, et li-
» cite possit, ac valeat; quorum Missa
» suffragetur, diebus Festis non tamen
» sollemnioribus, Personis omnibus, quae

» huiusmodi celebrationi interfuerint ». Hoc autem Privilegium, cum ad decennium tantum fuerit praedictae Congregationi concessum, aliae duae Congregationes eiusdem participes nullo modo esse poterant. Quocirca, cum elapso decennio, nova fieri debuerit postulatio, haec facta est, nomine omnium harum trium Congregationum: et a Pontifice Pio VII. prorogatum fuit idem Indultum, ad formam praecedentis Rescripti, ad aliud decennium: qua nova concessione, Pontifex benigne annuit pro extensione eiusdem Indulti pariter ad decennium ad alias duas Congregationes, nempe *Sanctae Mariae in Ceolum Adsumptae*, et *Sanctae Mariae Puritatis*. Rescriptum hoc fuit expeditum die 17 Ianuarii 1806., quod una cum altero adservatur in Secretaria Congregationis *Sanctae Mariae Reginae Apostolorum*. Igitur omnes hae tres Congregationes nostrae, tempore Missionis, hoc Privilegio rite, recteque uti possunt. Illud tamen advertant harum Congregationum Superiores, quod, expleto decennio ab hac ultima concessione, eo Privilegio uti nequeant; nisi prius eius confirmationem, ac renovationem ab Apostolica Sede obtinuerint.

II. Privilegium est perpetuum, et com-

petit omnibus Sacerdotibus, qui uni ex his tribus Congregationibus Missionum sunt adscripti, nempe, ut quotidie gaudeant Privilegio personali Altaris Privilegiati ubilibet celebrantes, pro defunctorum Animabus. Hoc Privilegium a Benedicto XIV. suo Rescripto, in forma Brevis, sub die 13 Iulii anni 1745 concessum fuit Congregationi PP. Piorum Operariorum, quibuscum communicationem nunc nos omnes habemus (a).

III. Demum Privilegium est, ut Sodales nostri omnes possint ubique, et in perpetuum, rationabili aliqua de causa, Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, hora una ante Auroram, et una hora post meridiem, et hoc etiam extra tempus Missionis. Privilegium huiusmodi nostris Congregationibus fuit concessum a Pio Papa VI. die 1 Iunii 1777. Qui Pontifex, ad preces Illustrissimi Viri Caroli Pergamo Episcopi Caietae, idem Privilegium in perpetuum duraturum, omnibus et singulis Fratribus Presbyteris trium Congregationum faciendi Sacrum extendit ad duas horas ante Auroram, et ad duas horas post meridiem, occasione Missionis, vel Spiritualium Exer-

---

(a) Cum nulla esse possit communicatio in privilegio Altaris privilegiati, Gregorius XVI, quem Deus diu sospitet, incolumemque servet hanc communicationem nostris Congregationibus *vivae vocis oraculo* largitus est, quamvis obstante decreto.

citiorum. Ita ex audientia eiusdem Papae Pii VI habita die 24 Ianuarii 1783.

Quod ad hoc pertinet Privilegium, scitu heic necessarium est, illud, tam in libro Privilegiorum Congregationis *Sanctae Mariae Puritatis*, in Æde Divi Georgii erectae, quam in Manuali Privilegiorum, pro Sodalibus Congregationis *Sanctae Mariae Reginae Apostolorum*, sitae in Cathedrali Ecclesia, absque ulla limitatione referri: immo in iis expresse dicitur, ut Sodales nostrarum Congregationum, per duas horas ante Auroram, et per duas horas post meridiem, ne dum Missionis tempore, sed etiam extra tempus Missionis, Sacrosanctum Missae Sacrificium libere valeant celebrare. Id ipsum nos certe exscribere sola Virorum illorum, qui hoc litteris mandarunt, auctoritas compulisset: sed, quoniam ipsimet non aliunde Privilegium hoc desumpsisse fatentur, nisi ex duplici Papae Pii VI. oraculo, tum in Audientia habita die 24 Ianuarii 1783 tum in alia die 10 Maii 1785.; Schedulas, quae Privilegium hoc continent sedulo perlegere, ac perscrutari attente nos non piguit. En factum. Clarissimus vir Carolus Pergamo Caietae Episcopus, Sacra Apostolorum limina visitaturus, Romam accedens, ibique ad Summi Pontificis Pii Papae VI. audien-

tiam comiter admissus, ut rem faceret gratam Sodalibus omnibus nostrarum trium Congregationum, inter quos etiam ipse connumeratus iam fuerat a prima aetate; die 24 Ianuarii anni 1783 a laudato Pontifice, ne dum Privilegium obtinuit recitandi quaedam de Passione Domini nostri Iesu Christi peculiaria officia, de quibus sequenti capite dicemus; sed etiam potissimum illud Privilegium obtinuit, celebrandi nempe Sacrosanctum Missae Sacrificium per duas horas ante hauroram, et per duas horas post meridiem, sed cum supra citata limitatione, scilicet *occasione Missionis, vel Spiritualium Exercitiorum*. Haec sunt verba ipsius Episcopi Caietae in pubblicis suis litteris, in quibus de his omnibus fidem facit, atque rem ita se habere testatur. Litterae huiusmodi adservantur, tum in Archivio Congregationis *Sanctae Mariae Puritatis* in Æde Divi Georgii erectae, tum in Congregatione *SS. Crucifixi* sistente in insigni Collegiata Ecclesia S. Ioannis Maioris. Cum vero idem illustrissimus Praesul ad eiusdem Pii Papae VI. audientiam rursus fuerit admissus in Civitate Anxuris, vulgo Terracinae, die 10 Maii 1785 novam pro iisdem nostrarum Congregationum Sodalibus facultatem obtinuit; quaedam scilicet alia peculiaria officia recitandi quotannis, quorum catalogum

etiam, sequenti capite, pertexemus. Ut autem huius novi Privilegii eos omnes, quorum intereat, faceret certiores; privatam quamdam epistolam transmisit adm. Rev. P. D. Roberto Mordente Piorum Operariorum, qui Congregationis *Sanctae Mariae Puritatis* tunc Pater erat, ac Moderator: in qua, post enumerationem illorum officiorum, quae ipsi Sacri Sodales, ex nuper obtenta concessione, poterant recitare, subiecit, et quasi obiter, quod, die 24 Ianuarii anni 1783 ipsis iam impetraverat, Privilegium nempe celebrandi Missam per duas horas ante auroram et per duas horas post meridiem, silentio praeteriens illam limitationem, scilicet, *occasione Missionis, vel Exercitiorum*, in suis publicis litteris iam prius adpositam. Sed quid ex hac reticentia erui potest? Certe nequit elici, Clarissimum Episcopum novam aliquam ampliationem prioris Privilegii a laudato Pontifice impetrasse, celebrandi quoque Missae Sacrificium per duas horas ante auroram, et per duas horas post meridiem, *etiam extra Missionis, vel Exercitiorum tempus;* nam, si novam hanc ampliationem obtinuisset, procul dubio eam expressis verbis significare debuisset. Sed cum ipse, in hac privata Epistola, rem istam revocet omnino ad id, quod die 25 Ianuarii anni

1783 obtinuerat; omnibus liquido apparet, eam facultatem non nisi esse intelligendam eo modo, et sub iisdem limitationibus, quibus in suis publicis litteris affectam fuisse testatus est. Id clarius liquet in aliis publicis litteris, ab eodem illustrissimo Episcopo datis Congregationi *SS. Crucifixi* in Ecclesia Collegiata S. Ioannis Maioris sitae, ubi adservantur, et quas nostris oculis attente perlegimus: in quibus fidem facit de eo, quod laudatus Pontifex Pius VI. die 10 Maii 1785 iam fuerat benigne elargitus: et ibi Officia refert tantummodo, quae ex Apostolico Indulto possunt recitari quotannis, ut iam supra diximus; ne verbum quidem unum adiiciens circa Missae Sacrificii celebrationem. Nulla ergo prioris Privilegii circa tempus celebrandi Missam ampliatio a Pontifice Pio VI., in hac altera audientia, fuit certe concessa. Quae, cum ita se habeant, nos fidenter enunciare, licitum esse Sodalibus harum trium nostrarum Congregationum Missae Sacrificium per duas horas ante auroram, et per duas oras post meridiem, quovis tempore, et quavis causa, praeter *Missionis*, vel *Exercitiorum occasionem*, celebrare, non immerito pertimuimus.

CAPUT II.

De Privilegiis circa Divini Officii recitationem.

I. Quod notandum occurrit in primis, est Privilegium pro Divino Officio recitandi Officium parvum B. M. Virginis, tempore Missionis, Sodalibus Congregationis *Sanctae Mariae Reginae Apostolorum* a Benedicto Papa XIV in perpetuum fuisse concessum suo Rescripto sub die 24 Maii 1751, quod in Secretaria dictae Congregationis adservatur. Hinc Sodales omnes aliarum duarum nostrarum Congregationum, ob communicationem inter sese promiscuam, eo Privilegio uti posse certum est procul dubio; cum Privilegium sit perpetuum.

II. Praeterea notandum, hoc idem Privilegium, qua prius Sodales nostri uti tantum poterant tempore Missionis, a Pio VI fuisse ampliatum etiam quoad tempus itineris, earumdem Missionum causa suscepti: ut in suo Rescripto die 1 Iunii 1777.

III. Notandum demum, quod cum idem Summus Pontifex Pius VI, *vivae vocis oraculo*, die 23 Aprilis 1784 omnibus, et singulis trium Congregationum nostrarum

Fratribus posse gaudere indulserit omnibus Facultatibus, et Privilegiis, tam concessis, quam concedendis, etiam tempore Exercitiorum Spiritualium, Novenarum, et Triduorum, etsi ista proprio, ac peculiari nomine peragantur: sequitur inde, posse eos eodem Privilegio uti licite, ac tuto, eo quoque tempore, quo istis Sacris exercitionibus incumbunt.

IV. Quod ad hoc Privilegium pertinet, hic non est omittendum Privilegium illud, quo PP. Pii Operarii perfruuntur, circa Divini Officii recitationem. Siquidem penes eorum Praepositum Generalem Facultas residet commutandi Divinum Officium in alias, suo arbitrio, determinandas vocales precationes, in actu Missionum, ex concessione Benedicti XIV; uti patet ex eius Rescripto Congregationi *Piorum Operariorum* dato, sub die 13 Iulii anni 1745. Hoc Privilegio uti bene posse censent plerique etiam nostros omnes Sodales, in actu Missionum, si a Superiore Congregationis ad hoc veniam obtinuerint, ob communicationem, quam cum Piis Operariis certo habemus. Constat enim communicationem Privilegiorum extendi de loco ad locum, et de persona ad personam, quando generalis est, uti declaravit Iulius II et Leo X Ideo-

que, quod ad nos facit, arbitrantur illi, posse unumquemque istarum trium nostrarum Congregationum Superiorem erga Fratres ipsis adscriptos, quod Praepositus Generalis potest erga suos Pios Operarios.

V. Denique Pius VI *vivae vocis oraculo*, ad preces Illustrissimi Viri Caroli Pergamo Episcopi Caietae, qui ad eius audientiam fuit admissus, concessit *in perpetuum* omnibus, et singulis istarum nostrarum Congregationum Sodalibus, posse quotannis nonnulla peculiaria Officia recitare. Verum, etsi Privilegium hoc non tam Missiones respiciat, et Missionarios, sed praesertim quoscumque harum Congregationum Fratres; attamen horum Officiorum Catalogum pertexere heic non erit inutile; cum quisque Sodalium nostrorum eo Privilegio uti possit, sive in Missionibus, sive extra, secundum temporis, et Festi opportunitatem.

Ex audientia SS. Papae Pii VI die 24 Ianuarii 1783 haec nobis fuerunt Officia concessa.

Officium Solemnis Commemorationis Dominicae Passionis, sub ritu duplici secundae classis cum octava, recitandum in perpetuum, *qualibet Feria III post Dominicam Sexagesimae.*

Item Officia Coronae Spinarium Domini nostri Iesu Christi, Clavorum, et Lanceae, Sacrorum quinque Vulnerum, Pretiosissimi Sanguinis, et Sacratissimae Syndonis, recitanda in primis quinque Feriis VI Quadragosimae, *sub ritu duplici maiori*, in perpetuum.

Ex Audientia eiusdem SS. Papae Pii VI die X mensis Maii anni 1785 haec alia Officia fuerunt nobis pariter concessa *in perpetuum.*

Officium SS. Redemptoris cum octava, prout celebratur in Dominio Veneto, Dominica III Iulii.

Officia Maternitatis, et Puritatis Beatae Mariae Virginis, in duabus Dominicis mensis Octobris, nempe II, et III. Officium hoc Puritatis B. M. Virginis, in Congregatione *S. Mariae Puritatis* celebratur Feria II infra Octavam Nativitatis B. M. Virginis, ritu duplici secundae classis cum octava.

Item Officium Translationis Almae Domus eiusdem B. V. Mariae, die 10 *Decembris, sub ritu duplici maiori.*

Item Officia S. Emygdii Episcopi, ac Martyris, nec non S. Irenis Virginis, et Martyris, sub ritu duplici (1).

(1) Haec duo Officia in Dioecesi Neapolitana celebrantur his diebus, scilicet S. Emygdii die 29 Novembris, et S. Irenis die 17 Octobris.

Idem Officium S. Boni Latronis, *sub ritu duplici*, *die 24 Aprilis.*

Insuper Officium SS. Cordis Iesu, *sub ritu duplici maiori.*

Demum Officium B. Bonaventurae a Potentia, *sub ritu duplici minori*, *quotannis* in perpetuum *celebrandum*, *cum Missa*, *die 26 Octobris*, constat ex Audientia SS. Papae Pii VI. die 1. Iunii 1777, cuius Rescriptum adservatur in Secreteria Congregationis *S. Mariae in Coelum Adsumptae*, cui Beatus iam fuerat adscriptus Sodalis, pro eadem Congregatione. Ad petitionem autem qu. Rev. D. Caietani de Hieronymo, idem officium cum Missa B. Bonaventurae ab eodem Pio VI. fuit quoque concessum aliis duabus Congregationibus Missionariorum, celebrandum eodem die, et sub eodem ritu duplici minori, ut ex Rescripto die 23. Iunii 1790.

CAPUT III.

De Privilegiis circa Benedictiones impertiendas.

Antequam Privilegia, quae ad hoc pertinent Caput, singillatim referamus, illud sedulo advertendum, eorum quaedam fuisse concessa a Summis Pontificibus, quaedam vero alia a Generalibus illorum Ordinum, quibus speciatim a S. Sede demandata est Facultas nonnullas impertiendi Benedictiones: quae propterea tribui nequeunt, nisi a Regularibus eiusdem Ordinis, vel ab iis tantum, quibus a Generalibus talium Ordinum facta est potestas, et non ab aliis; licet hi reliqua alia Privilegia, per communicationem, habeant promiscua. His praenotatis, singula percurramus, et a Pontificiis exordiamur.

I. *Summus Pontifex Pius VI., in sua audientia, habita die* 9 *Iunii anni* 1792. *ius tribuit omnibus, et singulis Presbyteris Congregationis* Sanctae Mariae Reginae Apostolorum, *in Cathedrali Neapolis erectae, impertiendi Benedictionem in Articulo Mortis, cui Plenaria Indulgentia est adnexa, adhibita formula, quam Benedi-*

ctus XIV. praescripsit, in sua Constitutione, quae incipit: Pia Mater, *et hoc etiam extra tempus Missionis, quod antea non licebat.*

Quoniam vero hujusmodi Privilegium *in perpetuum* fuit concessum, Sacerdotes duabus aliis Missionum Congregationibus adscripti, ob promiscuam communicationem, quam habent inter se, eodem omnino perfrui possunt.

II. *Huc accedit et aliud Privilegium ab eodem Pontifice Pio VI. concessum die* 1 *Iunii anno* 1777 *omnibus Presbyteris, qui addicti erunt hisce tribus Missionum Sodalitiis, benedicendi nempe, una cum Indulgentiis adnexis, Rosaria, Coronas sex decadum S. Birgittae, Numismata, vulgo* Medaglie, *et Cruces, quolibet metallo constructas, non solum tempore Missionis, sed etiam eo tempore, quo ab aliquo ipsorum peragentur Exercitia Spiritualia, Quadragesimalia, sive aliae formales Catecheses ad Populum, per aliquod non intermissum dierum spatium, et quidem* in perpetuum et absque ulla limitatione, *scilicet* numero neutiquam praefinito; *ut declaravit* vivae vocis oraculo *idem Pontifex die* 23 *Aprilis* 1784.

Unum heic advertendum ducimus, quod

Facultas haec, extra tempus Missionis, intelligenda sit nobis concessa, cum grano Salis, nempe, ut huiusmodi benedictiones impertiantur in Ecclesiis, sive locis, ubi ad Fideles habentur praecitata Exercitia, Quadragesimalia, et aliae Catecheses formales.

Sed accedamus modo ab alia Privilegia enumerata, quae a Generalibus nonnullorum Ordinum nostris Congregationibus sunt concessa.

I. *Recolendum in primis est Privilegium perpetuum tempore Missionis, a Generali* PP. Praedicatorum *concessum, in locis tamen, in quibus Conventus sui Ordinis non existunt, recipiendi nempe ad Confraternitatem SS. Rosarii omnes Fideles utriusque sexus, qui in ea adscribi peroptant, nec non benedicendi Rosaria quinque decadum, et Candelas, et in Articulo Mortis absolutionem dandi SS. Rosarii, iuxta formulam praescriptam ab Innocentio XI., cui* [illegible] *gentia est adnexa.*

Privi[illegible] hoc fuit concessum *in perpetuum* a Rev. Antonino Cloche Generali Ordinis [illegible]orum Congregationi *Sanctae Mariae Reginae Apostolorum*, suo di[illegible] Romae die 2[illegible] Ianuarii 1702: et Congregationi *Sanctae Mariae Puritatis*, in

alio suo diplomate sub die 15 Decembris anni 1714.

Insuper, *etiam extra tempus Missionis*, *Facultatem tribuit Superiori Congregationis*, *aut Visitatori Infirmorum*, *vel Deputato*, *dandi Sodalibus infirmis eiusdem Congregationis eamdem Indulgentiam. In diplomate autem dato Congregationi* Sanctae Mariae Puritatis *addit haec verba:* etiamsi sint Conventus nostri.

Hoc tamen Privilegio uti nequaquam possunt Sodales Congregationis *Sanctae Mariae in Coelum Adsumptae*; quia, ut patet ex diplomate de die 24 Octobris 1799 ab eodem P. Generali Antonino Cloche ipsis fuit concessum tantum durante tempore sui Officii.

II. *Alterum Privilegium*, *quo potimur*, *omnibus nostris Missionum Congregationibus concessum est a Generalibus Ordinis* PP. Servorum Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis, *sed diversis temporibus*; *diversisque modis. Nam primum Congregatio* Sanctae Mariae Puritatis *fuit a Generalibus huius Ordinis copiosissime condecorata eo Privilegio*, *quod proprium*, *et peculiare est huius Ordinis*, *scilicet benedicendi Coronas septem decadum*, *et parvum habitum septem dolorum Beatae Ma-*

riae Virginis , una cum Indulgentiis adnexis , tempore Missionum ; exceptis locis, in quibus adsit Religio PP. Servorum Beatae Mariae Virginis : *item impertiendi Absolutionem in Articulo Mortis , cum Plenaria Indulgentia adnexa , omnibus Fidelibus Septem Dolorum Societati adscriptis, eodem tempore , iisdemque in locis , ut supra : ac insuper instituendi , et erigendi Confraternitatem Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis , accedente tamen assensu Ordinarii Loci , cum adnexis Indulgentiis, in ipso tamen Missionis loco , ubi alia similis Confraternitas erecta non fuerit , ac per duo saltem milliaria ab alia simili Confraternitate distet.*

Id constat ex duplici diplomate Reverendissimi P. Iulii Arrichetti Generalis huius Ordinis , sub die 25 .Februarii ; et 2 Martii eiusdem anni 1690 *in perpetuum.*

Ac tandem Privilegium benedicendi , et impertiendi parvum habitum Septem Dolorum extensum fuit Sodalibus omnibus Sanctae Mariae Puritatis , *etiam pro tempore Quadragesimalis concionis , a Reverendissimo P. Petro Pieri Generali hujus Ordinis die* 28. *Octobris* 1730. , *in iis tamen locis , ubi non adsit alia Societas Septem Dolorum iam erecta , et dummodo qui hoc*

habitu induuntur, *dent nomen alicui viciniori Societati Septem Dolorum.*

Recenter postea huiusmodi Privilegium *perpetuum*, sed cum maiori restrictione, collatum fuit Sodalibus, tam *S. Mariae in Coelum Adsumptae*, quam *S. Mariae Reginae Apostolorum*: nam ipsis facta est Facultas benedicendi, et imponendi parvum habitum moestissimae Matris, cum adnexis Indulgentiis; modo in libro alicuius Confraternitatis canonice erectae describantur; nec non iisdem conferendi plenariam Absolutionem in mortis articulo constitutis, in locis tamen, in quibus Sacrae habentur Missiones: et in diplomate pro Sodalibus *Sanctae Mariae in Coelum Adsumptae* additur etiam, ut eadem Facultate polleant in locis quoque, ubi Quadragesimales Conciones habentur. In utroque autem diplomate illud adiungitur: *dummodo ibi non sit erecta Societas septem dolorum SS. Virginis*, *nec alius existat Sacerdos simili Facultate donatus.* Ita in Concessione facta Congregationi *Sanctae Mariae in Coelum Adsumptae* a Reverendissimo P. Philippo Vallaperta, Vicario Generali Apostolico, sub die 12 Iulii 1803, et in alia facta Congregationi *Sanctae Mariae Reginae Apostolorum* ab Adm. Rev.

P. Antonio Rossi, Provinciali eiusdem Ordinis, sub die 27 Ianuarii anni 1806.

III. *Aliud quoque Privilegium sola obtinuit Congregatio* Sanctae Mariae Reginae Apostolorum *a Rev. P. D. Nicolao Sagarriga, Praeposito Generali Clericorum Regularium Theatinae Congregationis utriusque Siciliae, scilicet benedicendi et dispensandi parva scapularia caerulei coloris Deiparae Virginis sine labe Conceptae, cum adnexis Indulgentiis.*

Hoc Privilegio bene uti possunt omnes, et singuli huius Congregationis *Sanctae Mariae Reginae Apostolorum* Sodales, quando Missiones peragunt, iis in locis tantum, in quibus Domus Congregationis Theatinae non existunt, et *ad decennium* a dato concessionis die, idest 27 mensis Maii anni 1806. Haec concessio, expleto decennio, procul dubio renovari debet.

His ergo ita expositis, quoad Facultates omnes, quibus nostrae tres Congregationes potiuntur circa peculiares Benedictiones impertiendas, secundum varias concessiones eis factas a nonnullorum Ordinum Superioribus: quae quidem omnia tradidimus, ex communi, probatoque Doctorum sensu; unum superest heic nostros admonere Sodales, quod verba respicit supra laudati

Brevis *inter multiplices tribulationes*, die 14 Decembris 1792 a Pio Papa VI. dati PP. Piis Operariis, cum quibus communicationem in omnibus habemus; *quoad Spiritualia Privilegia tantum, et in actu Sanctarum Missionum;* cum ea verba, juxta nonnullos, qui ita censent, ad hoc nostrum negotium pertinere videantur omnino. En verba Brevis. » Nos . . . . .
» . . . . omnia, et singula Privi-
» legia, Indulta, Indulgentias, peccatorum
» Remissiones, Facultates, et Gratias Spi-
» rituales, omnibus et singulis Congrega-
» tionibus Regularium, seu Saecularium,
» et signanter Congregationi Puritatis Ci-
» vitatis Neapolitanensis, tam generaliter,
» quam specialiter, et per viam commu-
» cationis, etiam motu proprio, ex certa
» scientia, ac alias, tam Congregationibus
» praefatis, quam earum domibus, etiam
» Regularibus, nec non *Generalibus, a-*
» *liisque Superioribus; Officialibus, Mi-*
» *nistris, et Personis*, per nos, vel per
» quoscumque Romanos Pontifices con-
» cessa, vel in posterum concedenda, quae-
» que specialem requirunt mentionem; ita
» ut illis praedicta Congregatio Piorum
» Operariorum Saecularium Presbyterorum,
» in posterum uti, frui, et gau-

» sit, et valeat, perinde ac si specialiter,
» expresse, ac pariformiter, et aeque prin-
» cipaliter ei concessa fuissent, eidem
» Congregationi Piorum Operariorum, au-
» ctoritate Apostolica, concedimus tenore
» praesentium, et indulgemus ». Ex quibus verbis, uti censent illi, quoniam PP. Piis Operariis datur communicatio ad *Privilegia*, *Indulta*, *aliasque Spirituales Gratias* concessas, vel in posterum concedendas *Generalibus*, *aliisque Superioribus*, *Officialibus*, *Ministris*, *et Personis*; procul dubio, quia nobis est communicatio cum Piis Operariis etiam in iis, ad quae ipsi communicant; nobis est quoque Facultas impertiendi omnes *Benedictiones*, quas *Generales*, *Superiores*, *Officiales*, *Ministri*, *aut Personae* nonnullorum Ordinum ex Pontificia Concessione impertiri possunt; quin, in illis tribuendis, nobis sit limitatio aliqua, aut restrictio, vel ad tempus, vel ad occasiones, et loca, uti in praefatis peculiaribus concessionibus recensendis supra diximus.

At hoc, quod nonnulli censent, immo et pro certo habent, perplurimi alii inficiantur omnino, ea ducti potissimum ratione, quia haec semper consuetudo servata est a Religiosis, ut nunquam unius

Ordinis Religiosi aliorum Ordinum propriam Benedictionem impertiantur; quamvis eorumdem Ordinum Privilegiis, ceterisque Facultatibus communicent. Nos ergo, qui nonnisi comperta, et quae clarissimis constant monumentis in hoc opere exponere in animo semper habuimus, nullum de hac re proferre iudicium volumus omnino, sed perspectis bene ex utraque parte rationibus, illud decernendum relinquimus ipsis Superioribus, qui, in actu Sanctarum Missionum, quomodo gerere se debeant, Sodales nostros poterunt monere.

Et haec sunt Privilegia omnia, quibus Sodales harum trium nostrarum Congregationum potiuntur circa Benedictiones impertiendas; et cum his huic Secundae Parti, quae de Privilegiis disserit, finem imponamus. Ceterum de Indulgentiis, quibus Christifideles, qui Rosaria, Cruces, Numismata, et alia a Missionariis benedicta gestant, cumulantur, sermo redibit in huius Opusculi Tertia Parte, quae mox est sequutura; cui etiam formulae adhibendae in supradictis Benedictionibus, pro uniuscuiusque commodo, subiicientur.

PARS III.

DE INDULGENTIIS.

Satis, superque certe non fuit Summis Pontificibus tot, ac tantis Privilegiis, iam in superiori Parte declaratis, harum trium Congregationum Sodales nostros condecorare; sed voluerunt pariter spiritualibus divitiis replere, et amplissimis Indulgentiis eos omnes locupletare, qui, vel in medendis putidissimis peccatorum vulneribus attendunt, vel in excolenda Domini Vinea desudant, vel in Ovibus Christi custodiendis vigili cura versantur. Insuper ut fideles omnes, sive peccatores sint, sive iusti, ad Ecclesias, in quibus Missiones habentur., ultro, libenterque se conferrent; tum ut Divini Verbi Praedicationi adessent, quod ad resipiscendum a viis pessimis efficacissimum est remedium; tum ut ad Sacramenta, praesertim Poenitentiae, ac Eucharistiae reripiscenda, se rite disponerent, sine quibus certe vel Spiritualis vita nunquam comparatur, vel comparata nunquam sustinetur; tum demum ut ad alia Pietatis Exercitia, quibus Dei Amor in cordibus nostris vehementer accenditur, excita-

rentur; pene innumeras concessere Indulgentias. Quis autem inter Fideles ignorat, quod a Tridentina Synodo adfirmatur, nempe *Indulgentiarnm usum Populo Christiano esse maxime salutarem*? Poenitentes enim, si vere sunt poenitentes, cum ad cetera laboriosa Poenitentiae opera exercenda idonei non sint; per Indulgentias, veluti per facile Misericordiae remedium, adiuvantur ad satisfaciendum Divinae Iustitiae, pro temporali poena, quam etiam, post remissa peccata, eidem procul dubio solvere debent. Hinc a summis Pontificibus gratiose concessum est, ut Fideles, non tempore Missionis tantum, sed saepe toto ferme tempore vitae, Indulgentias lucrari possint; dummodo, quae tunc temporis a Missionariis benedicuntur, secum referant, et iniuncta opera devote studeant adimplere. Ut autem omnia redigamus in ordinem, haec quoque Pars tria Capita complectetur. In primo de Indulgentiis, quae harum Congregationum Sodales respiciunt disseremus. In secundo de illis pertractabimus, quibus Fideles tempore Missionis potiuntur. In tertio demum de illis, quarum, occasione Missionis, etiam aliis temporibus possunt Christiani compotes fieri, sermonem instituemus. Ad extre-

mum, veluti in Appendice Partis huius, modum subnectemus sanctas Indulgentias impertiendi.

CAPUT I.

De Indulgentiis, quae nostrarum trium Congregationum Sodales respiciunt.

Quod ad has pertinet Indulgentias, illud est advertendum in primis, earum quasdam esse *Personales*, eisque omnes harum Sodalitatum Consocios, ob promiscuam inter sese communicationem, perfrui posse: quasdam vero esse *Proprias* cuiusque Congregationis, et nonnisi ipsis Oratoriis addictas. De utrisque, maiori, qua possumus, brevitate, heic agemus.

I. *Plenariam Indulgentiam consequuntur omnes, et singuli Ecclesiastici, qua die in numerum Fratrum unius ex his tribus Congregationibus adsciscuntur, si Poenitentiae Sacramento fuerint expiati, et Eucharistiae pabulo quoque nutriti.*

Id constat ex Brevi Innocentii XI. expedito die 5 Ianuarii 1679 pro Congregatione *Sanctae Mariae Reginae Apostolorum:* et pro Congregatione *Sanctae Mariae Puritatis* constat ex Brevi Clementis XI. die

1 Aprilis 1716, confirmato a Benedicto XIV. in suo Brevi: *Dilecti Filii*: die 5 Octobris 1749. Quod quidem novissime pro Congregatione *Sanctae Mariae in Coelum Adsumptae* fuit renovatum a Pio VII. f. r., in suo Rescripto, sub die 25 Septembris 1802. Haec omnia *in perpetuum* sunt nobis concessa.

II. *Eamdem Plenariam Indulgentiam acquirent iidem omnes Sodales nostri, qui ad praesens his Congregationibus sunt cooptati, vel quolibet futuro tempore cooptentur in posterum, in eorum mortis Articulo, si vere poenitentes, et confessi, Sacramentali Communione fuerint quoque refecti: et quatenus id facere nequiverint, saltem vere contriti, nomen Iesu ore si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint.*

Quod clare liquet ex iisdem Brevibus, et Rescripto mox supra citatis.

III. *Possunt etiam Sodales nostri, spiritualia Exercitia per decem, vel saltem per octo dies peragentes, Indulgentiam pariter plenariam lucrari, ob communicationem, quam cum piis Operariis habemus, qui ea gaudent Indulgentia.*

Ex concessione Alexandri VII. die 11 Iunii 1659.

IV. *Insuper quilibet harum Congregationum Sodalis, in diebus Stationum, quae in Missali Romano notantur, aliquam visitans Ecclesiam, pro suo arbitratu, ibique recitans septies* Pater. et Ave; *omnes illas indulgentias lucrifaciet, quae in visitatione illius Ecclesiae Almae Urbis eo die Stationis adsignantur.*

Id invenitur concessum Congregationi *Sanctae Mariae in Coelum. Assumptae* in Rescripto Pii Papae VII. superius citato, cum qua Congregatione duae aliae communicant.

V. *Itidem omnes, et singuli harum Congregationum Sodales, qui pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, vel procuraverint, vel etiam qui corpora Defunctorum Confratrum, vel aliorum ad sepulturam associaverint, Sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum, tam in Processionibus, quam cum ad infirmos deferetur, comitati fuerint, vel si impediti, ad Campanae signum ob id datum, Orationem Dominicam, et salutationem Angelicam dixerint; aut quinquies recitaverint Orationem Dominicam, et salutationem Angelicam pro Sodalium defunctorum animabus; aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes, quae,*

ut salvi fiant, ipsis necessaria sunt scitu, docuerint; vel denique quodcumque aliud Pietatis, aut Caritatis opus exercuerint; sexaginta dierum Indulgentiam, pro quolibet ex praefatis Operibus, adipiscentur.

Ita ex concessione *in perpetuum* facta ab Innocentio XI. Congregationi *S. Mariae Reginae Apostolorum*, in Brevi antea relato; et a Clemente XI. Congregationi *Sanctae Mariae Puritatis*, in suo Brevi superius quoque citato.

Immo pro quolibet ex istis opere tempore Missionum devote peracto, Indulgentiam viginti annorum adsequentur.

Hoc concessum fuit a Gregorio XIV. in Bulla quae incipit: *Illius qui*, anno 1591; Congregationi *Infirmis Ministrantium*, quorum Privilegiis spiritualibus nos quoque perfruimur tempore Missionum, ob generalem communicationem, quam cum Piis Operariis habemus, ut abunde in Monito Operis huius exposuimus.

Atque haec quoad Indulgentias communes tribus nostris Congregationibus. Modo ad eas recensendas deveniamus, quae unicuique Congregationi omnino sunt peculiares.

I. *Quicumque ex Sodalibus nostris, postquam Poenitentiae, ac Eucharistiae Sa-*

cramenta susceperit , suam Congregationem visitaverit die Festo principali eiusdem Congregationis , a primis vesperis Festi usque ad Solis occasum, ibique pro Christianorum Principum concordia, pro haeresum extirpatione, ac pro Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderit; Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam; et Remissionem oblinebit. Harum Congregationum Festa principalia sunt. Pro Congregatione Conferentiarum *sive* P. Pavonii , *Festum* Adsumptionis B. M. Virginis. *Pro Congregatione erecta in Ecclesia Cathedrali Neapolis , Festum* Visitationis eiusdem Virginis Mariae. *Demum pro Congregatione sistente in Ædibus Divi Georgii, Festum* Puritatis B. V. Mariae: *Quod festum ibi celebratur Feria II. infra Octavam Nativitatis eiusdem Virginis Mariae , ut supra monuimus , ubi de Privilegiis circa Officii recitationem. Pro Congregatione vero* S. Mariae in Coelum Adsumptae *illud peculiariter est notandum , quod , cum Dominica infra Octavam Adsumptionis eiusdem Virginis Mariae fiat Processio Sollemnis a dicta Congregatione ad Cathedralem Ecclesiam usque , omnes illi , qui , post recepta Poenitentiae , ac Eucharistiae Sacramenta, sacris paramentis induti , solemni huic Pro-*

cessioni interfuerint, eamdem Plenariam Indulgentiam consequentur.

Haec omnia clare patent ex Rescripto Pii VII. pro Congregatione *Conferentiarum;* et, pro aliis duabus Congregationibus, ex Brevibus Innocentii XI. et Clementis pariter XI. supra laudatis.

II. *Sodales Congregationis* S. Mariae in Coelum Adsumptae *plenaria quoqua Indulgentia donantur, si Poenitentiae, ac Eucharistiae Sacramentis muniti, Congregationi interfuerint, ibique consuetas Deo preces porrexerint, in Feria IV. infra Octavam septem Festivitatum B. M. Virginis, scilicet* Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, et Adsumptionis: *nec non in Feria IV infra Octavam horum Sanctorum, nempe* Caroli, Nicolai, Augustini, Francisci Salesii, Ignatii Loyolae, Francisci Xaverii, Philippi Nerii, *atque* B. Bonaventurae a Potentia.

Ita ex laudato Rescripto Pii VII.

III. *Demum quiquinque ex Sodalibus eiusdem Congregationis* S. Mariae in Coelum Adsumptae *eidem Congregationi interfuerit, qualibet alia anni Feria IV., in qua de more Fratres congregantur, Indulgentiae septem annorum particeps etiam efficitur.*

Id constat ex eodem Rescripto Pii Papae VII.

IV. *Itidem Sodales Congregationis* S. Mariae Reginae Apostolorum, *in Festis* Adsumptionis B. M. Virginis, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, Sancti Francisci Salesii, et Decollationis Sancti Ioannis Baptistae: *nec non Fratres* Sanctae Mariae Puritatis *in Feria II. infra Octavam* Ascensionis Domini nostri Jesu Cristi, *in Festo* S. Michaelis Arcangeli; *mense Septembris*, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, et Adsumptionis B. Mariae Virginis, *si Sacramentali Confessione expiati, ac sacra Communione refecti, propriam Congregationem visitaverint, ibique de more oraverint, Indulgentiarum septem annorum, et totidem Quadragenarum compotes erunt.*

Ita ex Brevibus supra relatis.

V. *Sexaginta demum dierum Indulgentia Fratribus uniuscuiusque Congregationis tribuitur, quoties Missis, divinisque Officiis in eorum Congregatione celebrandis, seu recitandis, interfuerint.*

Quae omnia constant ex Brevibus supra recensitis Innocentii XI. et Clementis XI.

CAPUT II.

De Indulgentiis, quibus cumulari possunt Fideles tempore Missionis, vel Exercitiorum, quae a nostrarum Congregationum Sodalibus fiunt.

Ad hanc Indulgentiarum seriem pertinent, quae sequuntur:

I. *Indulgentia Plenaria* in perpetuum *concessa, pie Defunctis etiam applicabilis, quam adipiscuntur omnes utriusque sexus Christifideles illi, qui Sacramento Poenitentiae expiati, et divina Eucharistia devote refecti, Ecclesiam, in qua Missiones nostrae, aut alia nostra spiritualia exercitia habentur, devote visitaverint: ibique consuetas preces Deo*, in spiritu humilitatis, et in animo contrito (1) *obtulerint. Hanc eamdem Indulgentiam Sacerdotes quoque lucrantur, qui, post Missam, etsi alibi celebratam, illam Ecclesiam adiverint, et ibi, ut par est, humili corde fuerint precati. Quod si ex his omnibus nonnulli, vel aliqua infirmitate detenti, vel alia iusta causa praepediti, personaliter dictam Ec-*

(1) Dan. 3. 39.

clesiam adire nequeant, ut in ea praestent, quae de more sunt exequenda; dummodo eo tempore; et Sacramentaliter a peccatis fuerint absoluti, et sanctissimam Eucharistiam perceperint, eamdem Plenariam Indulgentiam consequentur.

Haec omnia liquent, tum ex Innocentio XIII. in suo Rescripto die 9 Novembris 1723., tum ex Benedicto XIII. in Rescripto sub die 5 Septembris 1726. dato Congregationi *S. Mariae in Coelum Adsumptae*, et in Brevi expedito pro Congregatione *S. Mariae Reginae Apostolorum*, die 15 Maii 1728., tum demum ex Clemente XIV. pro Congregatione *Passionis*.

II. *Insuper Plenaria haec Indulgentia a sacris nostris Sodalibus prorogari potest etiam ad quindecim dies post peractas Missiones, pro his Fidelibus, qui Missionis tempore confessi non fuerint, vel temporis defectu, vel Confessariorum inopia, vel quia eis fuerint dilata absolutio, dummodo intra praefatos dies revera confiteantur, et Eucharistiam sumant.*

Ita ex Bulla Pii VI data Congregationi *Passionis* die 2 Maii 1789 et ex Pio Papa VII in suo Rescripto Congregationi *S. Mariae in Coelum Adsumptae* sub die 25 Septembris 1802.

III. *Indulgentiam pariter plenariam adsequentur omnes Christifideles, si per octo dies interfuerint spiritualibus Exercitiis, quae a Fratribus harum trium nostrarum Congregationum dantur cuicumque Personarum coetui, etiamsi ista peragantur nomine proprio: dummodo in fine Exercitiorum, vel intra praedictos dies eorum Auditores Poenitentiae, ac Eucharistiae Sacramenta susceperint. Quod intelligèndum pariter est de qualibet alia continuata Praedicationis serie.*

Ita ex Rescripto Benedicti XIII dato *Conferentiarum* Congregationi, die 10 Iunii 1727., et ex citata Bulla Pii VI pro Congregatione *Passionis*, die 2 Maii 1789.

IV. *Tempore Missionis, vel spiritualium Exercitiorum, Fideles, qui divini Verbi Praedicationi interfuerint, et in eadem Ecclesia preces, de more, ad Deum effuderint, in quolibet die, septem annos, et totidem Quadragenas de Indulgentiis lucrantur.*

Ita ex Pio VI in suo Rescripto in forma Brevis pro Congregatione *SS. Redemptoris*, die 22 Augusti 1778., et ex Pio VII in citato Rescripto die 25 Septembris 1802 pro Congregatione *Conferentiae*.

V. *Immo quicumque Fidelis tempore*

Missionis, vel Exercitiorum, quoties opera, vel consilio aliquod Pietatis opus erga Proximum promoverit, toties quadraginta dierum Indulgentiam lucrabitur.

Id constat ex Bulla Clementis XIV., quae incipit: *Supremi Apostolatus*, concessa Congregationi *Passionis*.

VI. *Tandem Indulgentia plenaria ditantur Fideles omnes, in Benedictione Papali, quam Sodales nostri, Pontificia Auctoritate suffulti, impertiuntur, in fine vel cuiusque Missionis, vel spiritualium Exercitiorum, vel Quadragesimalium, etc. Qua Plenaria Indulgentia etiam perfruuntur infirmi, vel ii omnes, qui aliquo legitimo impedimento detenti, nequeunt interesse.*

Id constat quoque ex variis Pontificum concessionibus, et praesertim ex toties citato Rescripto Benedicti XIII. die 5. Septembris 1727. pro Congregatione *S. Mariae in Coelum Adsumptae.*

VII. *Quod heic, pro coronide facti huius, non est praetereundum, illud certe videtur, quod, praeter omnes mox recensitas Indulgentias, quas lucrari possunt Fideles, si vere Poenitentes, confessi, et Sacra Communione refecti, per novem continuas Dominicas devote visitaverint Ecclesias, in quibus nostrae Missiones peractae*

sunt, ibique de more pias ad Deum preces effuderint, in postrema ex praedictis Dominicis, enariam Indulgentiam adquirunt: in quis vero octo Dominicis, centum dies ntum de iisdem Indulgentiis.

Hoc uit concessum a Benedicto XIV. in suo evi perpetuo, sub die 10 Maii 1755. da Congregationi *Piorum Operariorum*, q buscum nos integram, in omnibus conssionibus, communicationem habemus, uti iam in Monito abunde adnotavimus.

VIII. *His omnibus illud demum est addendum, quod omnes Christifideles, qui sub directione, et regimine harum trium nostrarum Congregationum sero coadunantur in sacris Ædiculis per civitatem sparsis, vulgo* Cappelle, *ad Christianam pietatem, doctrinamque addiscendam, et ad Sacramenta, ut par est, devote percipienda; dummodo dicta Sacella cum spiritu Religionis visitaverint, in qualibet Festivitate B. Mariae Virginis, praemissa Sacramentali Confessione, et Eucharistiae perceptione, et consuetas preces ibi obtulerint Deo, plenariam Indulgentiam consequantur.*

Summus Pontifex Pius VI. die 23 Aprilis 1784. *vive vocis oraculo* benigne id indulsit petentibus Sodalibus *S. Mariae Puritatis.*

CAPUT. III.

De Indulgentiis, quas adquirere possunt Fideles ob ea quae a nostris sacris Sodalibus benedicta fuere.

Adposite hoc in Capite exsequi statuimus, quod iam in superioris partis meta polliciti sumus, declarationem scilicet Indulgengentiarum, quas omnes illi Christifideles lucrari possunt, qui secum habent nonnulla eorum, quibus a sacris nostris Sodalibus, tempore Missionis, aut Exercitiorum, fuit Benedictio impertita. In iis autem Indulgentiis distincte exponendis, eumdem omnino servabimus ordinem, quem in explicandis Facultatibus Sodalium harum trium nostrarum Congregationum circa Benedictiones conferendas iam adhibuimus.

I. *Omnes et singuli utriusque sexus Christifideles, qui Rosaria, seu Coronas sex decadum, vulgo* S. Birgittae, *a nostris Missionariis benedictas apud se retineant, et per eas oraverint, has Iindulgentias consequentur.*

1. *Pro qualibet Oratione Dominica, vel Angelica salutatione, et pro quolibet Apostolorum Symbolo, tali Corona recitatis,*

Indulgentiae centum dierum compotes fiunt.

Id patet ex litteris Leonis X incipientibus: *ex Clementis*, datis sub die 10 Iunii 1515.

2. *Omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui quotidie per annum integrum Coronam* Divae Birgittae *recitaverint, plenariam Indulgentiam, cum Facultate eam applicandi pro Animabus in Purgatorio degentibus, concessit: hoc tamen indulsit, semel in anno, die scilicet, per unumquemque eligendo, dummodo Sacramentis Poenitentiae, et Eucharistiae muniti, eo die pro Christianorum Principum pace, et concordia, pro haeresum extirpatione, et pro S. Matris Ecclesiae exaltatione ferventes ad Deum effuderint preces.*

Clemens XI in suo Brevi *de salute gregis* sub die 22. Septembris 1714.

II. *Omnes illi, qui habent* Cruces, Imagines, Numismata, *vulgo* Medaglie, *quocumque ex metallo confecta; dummodo semel in hebdomada Coronam recitent Christi Domini, vel Beatae Mariae Virginis, aut tertiam partem Rosarii, aut Officium Divinum, vel Officium parvum B. M. Virginis, vel Officium Defunctorum, vel septem Psalmos Poenitentiales, vel Graduales; aut semel in hebdomada rudimenta fi-*

dei docuerint rudes; aut detentos in carcere, aut alicuius domus, vel Hospitalis Aegrotos visitaverint; aut pauperibus aliquam eleemosynam fuerint elargiti; vel demum si Missam audierint, vel si Sacerdotes sint; celebraverint: hi omnes, inquam, plenariam Indulgentiam adipiscentur in primariis anni Festis, quae mox recensentur; si, eo die festo percurrente, Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramentis receptis, suppliciter Deum, pro haeresum extirpatione, pro Christianorum Principum pace, et pro Catholicae Fidei propagatione, nec non pro aliis Sanctae Matris Ecclesiae necessitatibus fuerint deprecati. Hanc eamdem Indulgentiam consequentur iidem etiam, in mortis articulo, invocato SS. Iesu Nomine. Porro dies Festorum, in quibus praedicta Indulgentia potest adquiri, sunt sequentes.

Festum Nativitatis *Domini nostri Iesu Christi, Epiphaniae Domini, Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, Ascensionis Domini, Pentecostes, SS. Trinitatis, SS. Corporis Christi, Annunciationis, Adsumptionis, et Nativitatis B. M. Virginis, Omnium Sanctorum, Sanctorum duodecim Apostolorum, Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae, et demum Sancti Ioseph Sponsi B. V. Mariae.*

—

Id totum a variis Summis Pontificibus concessum invenitur, nempe ab Alexandro VII., et VIII, ab Innocentio XI, et XII, a Clemente XI., et denique a Benedicto XIII. Ut autem quis possit denotatas Indulgentias consequi; dum opus iniunctum implet, debet penes se habere *Numisma*, vel *Crucem benedictam*, juxta clausulam Pontificiae concessionis, quae sic dicit: *Omnibus qui habent apud se Medalliam*, *aut Crucem.* Praefata haec *Crux*, *Imago*, vel *Numisma* aliis tradi, aut commodari non potest, causa lucrandi dictas Indulgentias; quin immo, si amittantur, nil aliud privata auctoritate substitui licet; uti declaravit idem Alexander VII die 6 Februarii 1657.

III. *Quod autem pertinet ad Indulgentias, quas consequi possunt qui ad Confraternitatem, recipiuntur* SS. Rosarii, *nunc paucis dicemus. Cum enim pleraeque earum sint adnexae aut visitationi Altaris Rosarii, vel Ecclesiarum Ordinis PP. Praedicatorum, aut supplicationibus, quae ab iisdem fiunt; nec licitum sit nostris Sodalibus iis in locis, ubi eorum Conventus sunt, Fideles Societati SS. Rosarii adscribere, eorumque Rosaria, et Coronas benedicere; ideo Indulgentias istas ne leviter quidem*

attingemus. Ut autem satis fiat Sodalibus S. Mariae Reginae Apostolorum, *et* S. Mariae Puritatis, *qui hac praediti sunt Facultate in locis, ubi desunt Conventus PP. Praedicatorum; sufficit, ut ipsi eos, quos ad Confraternitatem SS. Rosarii recipiunt, vel quorum Rosaria, et Coronas quinque, decem, vel quindecim decadum benedicunt, advertant de Indulgentia plenaria, quam in ipso die receptionis ad hanc Rosarii Confraternitatem adquirunt, dummodo Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramentis devote perceptis, Deum fuerint precati pro S. Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, et Christianorum Principum pace: tum etiam eos advertant de Indulgentia centum dierum pro qualibet Oratione Dominica, vel Angelica Salutatione, quam cum tali Corona recitaverint; et de plenaria, quam semel in anno consequi possunt quotidie recitantes per annum integrum saltem tertiam partem Rosarii, die per unumquemque eorum eligendo, quo, Sacramentis Poenitentiae, et Eucharistiae muniti, precibus de more consuetis Deum exoraverint. Insuper gestantibus secum Rosarium in obsequium Beatae Virginis, vel recitantibus tertiam partem Rosarii tantum, pro qualibet vice, Summi Pontifices In-*

dulgentias quasi innumeras concessere; quin immo plenariam Indulgentiam, si die Annunciationis Beatae Mariae Virginis, *Poenitentiae Sacramento mundati, et Eucharistiae refecti, integrum Rosarium recitaverint. Denique plenariam quoque Indulgentiam adipiscentur, in articulo mortis, non ii solum, qui Rosarii benedictione dignantur, verum et qui post Sacramentorum susceptionem corde saltem, sin ore, Iesus, et Mariae nomen devote proferant; vel si confiteri nequeant omnino, cum confitendi proposito, et habentes in manibus candelam in honorem Virginis benedictam, animam Deo reddant. Heic vero monendi sunt Fideles, huiusmodi Indulgentias recitationi B. M. Virginis Rosarii adnexas, quaeque sunt etiam pie defunctis applicabiles, non consequi eos, qui sine devota contemplatione Mysteriorum, quae in Rosario continentur, illud recitent: rudes vero, qui contemplationi huic non sunt apti, eas bene posse lucrari, uti Benedictus XIII declaravit in Bulla, quae incipit:* Pretiosus, *data die 26 Maii 1727; dummodo illud devote recitent, et Mysteriorum considerationi paullatim adsuescere curent.*

Haec omnia liquido constant ex variis Summorum Pontificum Diplomatibus, uti

v ..ro est in *Bull. Dominicano*; cum in-
.. tuti nostri ratio non sinat in iis exponen-
is diutius immorari.

IV. *Sed et pauca loquamur modo de iis, qui recitant Coronam septem decadum* in honorem septem Dolorum B. Mariae Virginis, *benedictam ab habente potestatem. Hi omnes, pro qualibet Oratione Dominica, vel salutatione Angelica, huiusmodi Corona recitatis, in singulis Feriis sextis totius anni, et in tota Quadragesima, necnon in sollemnitate septem Dolorum, quae in Dominica tertia Septembris celebratur, et per totam Octavam, biscentum dies Indulgentiarum obtinebunt: in aliis vero anni diebus, centum dierum eiusdem Indulgentiae participes erunt: et denique, semel in anno, die ab ipsismet eligenda, qua Sacramentis Poenitentiae, et Eucharistiae perceptis, ac precibus consuetis de more iuxta mentem Pontificis Deum oraverint, plenariam Indulgentiam consequentur; quam etiam pie Defunctis, et in Purgatorio existentibus, applicare possunt.*

Indultum hoc invenitur concessum a Benedicto XIII in suo Brevi, quod incipit: *Redemptoris*, expedito sub die 26. Septembris anni 1724.

V. *Qui parvum habitum* septem Dolo-

rum Beatae Mariae Virginis *a Sacris nostris Sodalibus Missionum tempore benedictum, in locis tamen, ubi desunt Conventus* PP. Servorum Beatae Mariae Virginis, *obtinent, et gestant; in die susceptionis eiusdem plenaria Indulgentia ditantur, dummodo Poenitentiae Sacramento fuerint expiati, et Eucharistiae Communione refecti. Quam Indulgentiam lucrantur quoque in mortis Articulo, si corde saltem invocaverint SS. Iesu Nomen, tum etiam quotannis eam consequi possunt, tam in Dominica Passionis, quam in Dominica III. Septembris, si praefatis Sacramentis muniti a primis Vesperis usque ad solis occasum talium dierum Oratorium, in quo dicta Confraternitas septem Dolorum est erecta, devote visitaverint; ibique pro Christianorum Principum pace, pro haeresum eversione, et pro S. Matris Ecclesiae indigentiis Deum enixe fuerint deprecati. Si vero praedictum Oratorium in diebus* Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, et Assumptionis B. V. Mariae *visitaverint, post eorumdem Sacramentorum susceptionem, iisdem quoque precibus Deo porrectis, septem annos Indulgentiarum lucrifacient. Pariter eiusdem septem annorum Indulgentiae participes redduntur, in qualibet feria VI totius anni, si eo die, iisdem Sacramentis roborati, in memoriam et*

honorem Passionis Iesu Christi, quinquies orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam recitaverint, easdemque supradictas preces devote obtulerint Deo. Denique, in qualibet die Quadragesimae, aliisque diebus Sacrarum Stationum, praedictum Oratorium adiverint, ibique ut supra oraverint, easdem Indulgentias Stationum adquirunt, quae addictae sunt ipsis Ecclesiis Stationum intra, et extra Almae Urbis moenia; quibus Indulgentiis Defunctorum Animabus, qui in Purgatorio igne cruciantur, iuvamen etiam praestari potest.

Isthaec omnia manifeste colliguntur ex duplici Brevi Innocentii XI, sub diebus 1. Septembris 1681., et 24 Octobris 1682.

VI. *Demum quod pertinet* ad habitum, vulgo scapulare B. M. Virginis Immaculatae, *omnes et singuli Christifideles, qui huiusmodi habitu induuntur, eo die, quo illum benedictum suscipiunt, Poenitentiae, ac Eucharistiae Sacramentis devote perceptis, plenariam Indulgentiam consequuntur; qua Indulgentia cumulantur etiam quotannis in die Conceptionis SS. Virginis, si eo die iisdem Sacramentis muniti, Altare visitaverint eidem B. Virgini dicatum, et inibi iuxta mentem Pontificis Deum exoraverint. In aliis vero Festivitatibus eiusdem*

SS. Virginis, eadem prestantes opera, quae praestari solent de more, septem annos, et totidem Quadragenas Indulgentiarum obtinebunt. Ii vero, qui sunt in mortis articulo, plenariam Indulgentiam consequentur, etiamsi Sacramenta percipere nequeant; dummodo tamen corde revera contriti, Iesu Nomen devote pronuntiaverint.

Totum hoc reperitur concessum a Clemente XI, in suo Brevi, sub die 22 Maii 1710.

Ut autem has Indulgentias consequi possint Fideles tali habitu decorati; etsi quoad vocales preces nihil inveniatur praescriptum, sed uniuscuiusque devotioni, ac pietati liberum sit relictum; cum devotionis huius praecipuus scopus sit, precibus quibuscumque divinam implorare Clementiam, pro peccatorum conversione, nec non pro eorum morum reformatione: praxis tamen S. Andreae Avellini, *qua quisque bene uti potest, erat recitandi quotidie duodecim* Ave Maria, *in honorem duodecim privilegiorum B. Virginis Mariae, et tres* Gloria Patri *ad laudem SS. Trinitatis. Praeterea adscripti huic Sacrae Societati, quotidie recitantes sex* Pater, Ave *et* Gloria, *in honorem SS. Trinitatis, ac B. Virginis Mariae Immaculatae, fusis ad Deum precibus, quae fun-*

di solent de more, lucrari possunt Indulgentias omnes septem Ecclesiarum Almae Urbis, aliasque pene innumeras.

Refert id Beatus Alphonsus de Ligorio, in suo Opusculo, cui titulus: *Le Glorie di Maria*, Parte II. Obsequio 6.

His itaque omnibus ita recensitis, antequam huic tertiae parti nostri operis huius finem imponamus, illud unum sedulo advertere oportet nostros Sacros Sodales, ut in huiusmodi impertiendis Benedictionibus cum adnexis Indulgentiis praedictis rebus omnibus, Fideles diligentissime admoneant de dispositionibus necessariis ad eas Indulgentias adsequendas; nimirum tum de statu gratiae, in quo ipsi esse debent, tum de conservandis rebus benedictis, quas aliis dare, vel commodare nequeunt, ad Indulgentias tamen obtinendas, quasque apud se habere debent, dum iniuncta opera exsequuntur, ac demum (quod prae ceteris observatione dignum videtur omnibus) pias, et religiosas personas doceant, quod, licet pro aliquibus Indulgentiis lucrandis praescribatur Sacramentalis Confessio, quae fieri certo debet, vel in ipso Festivitatis die, vel in pervilegio eius; attamen Fideles, » qui frequenti peccatorum suorum Confessione, animam expiare student, adeo ut

semel saltem in hebdomada; ad Poenitentiae Sacramentum recipiendum soleant accedere, nisi legitime impediantur, et nullius letalis culpae, a se post ultimam Confessionem commissae, sint conscii; omnes et quascumque Indulgentias rite consequi possunt, etiam sine actuali confessione quae ceteroquin, iuxta Sacrae Congregationis decreti definitionem, ad eas lucrandas necessaria foret ». Decretum hoc Sacrae Congregationis Indulgentiis praepositae, a Clemente XIII fuit confirmatum die 9 Decembris 1763.

Et en ad extremum perductum Opusculum hoc qualecumque, quod ad maiorem Dei gloriam, et SS. Virginis obsequium conscribendum suscepimus. Quae enim huc usque recensuimus de Facultatibus, Privilegiis, ac Indulgentiis trium nostrarum Sodalitatum, ad nostrum praesens institutum sufficientissima omnino esse putamus. Omnia siquidem collegimus ea, quae certiora, quaeque magis scitu nobis necessaria sunt visa; ut Sodales nostri, praesertim qui in Sacris Missionibus exercentur ad proximorum procurandam salutem in Domino, securius, ac facilius suo munere fungerentur. Unum vero heic addendum superest, ut qui Sodalium nostrorum commodo utcum-

que potuimus, vel maxime inservivimus, Formulas omnes, quae in variis illis Benedictionibus impertiendis iam supra commemoratis sunt adhibendae, redigamus in unum: et eo sane consilio, ut unusquisque sua facultate, qua pollet rite recteque, et absque ullo scrupulo semper utatur. Ut ergo numeris omnibus absolutum hoc evadat Opusculum, in subiecta Appendice omnes istas Benedictionum Formulas subnectemus.

APPENDIX

DE FORMULIS ADHIBENDIS IN PRAEDICTIS BENEDICTIONIBUS IMPERTIENDIS.

In recensendis ergo formulis Benedictionum omnium, quibus Sodales trium nostrarum Congregationum uti possunt ex privilegiis, vel ab Apostolica Sede, vel a Superioribus nonnullorum Ordinum obtentis, ut recta procedamus via, ab iis exordiamur, quae, ut iam supra monuimus, *in perpetuum* omnibus Sodalibus nostris sunt a S. Sede concessae. De aliis dicemus postea.

I.

Benedictio in Articulo Mortis impertienda.

Minister dicat: Pax huic domui etc. *postea Ægrotum, cubiculum, et circumstantes adspergat aqua benedicta dicendo:* Asperges etc.

℣. Adiutorium nostrum etc.
℟. Qui fecit Coelum, et Terram.
Antiph. Ne reminiscaris, Domine, de-

licta famuli tui (*vel* ancillae tuae), neque vindictam sumas de peccatis eius.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas etc.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (*vel* ancillam tuam).

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spirito tuo.

Oremus.

Clementissime Deus, Pater Misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum, respice propitius famulum istum N., quem (*vel* ancillam tuam N., quam) tibi vera fides, et spes Christiana commendant. Visita eum (*vel* eam) in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem, et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem, et veniam clementer indulge; ut eius Anima, in hora exitus

sui, Te iudicem propitiatum inveniat, et in sanguine eiusdem Filii tui ab omni macula abluta transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Tum, dicto ab uno ex Clericis adstantibus, Confiteor etc. *Sacerdos dicat:* Misereatur etc. *Deinde.*

Dominus noster Iesus Christus, Filius Dei vivi, qui B. Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam Misericordiam recipiat Confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti: et ego, Facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, Indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine ✠ Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Per sacrosancta humanae reparationis mysteria remittat tibi Omnipotens Deus omnes praesentis, et futurae vitae poenas, Paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te Omnipotens Deus ✠ Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut praemissarum precum recitandarum tempus non suppetat, statim Sacerdos Be-

nedictionem ei impertiatur; dummodo saltem contritus nomen Iesu, ore, si potuerit, sin minus corde, devote invocaverit, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Dei, patienti animo, atque alacri susceperit.

II.

Benedictio Rosarii, seu Coronae sex decadum, vulgo dictae S. Birgittae.

Missionarius indutus (si commode potest) superpelliceo, et stola, iunctis manibus, mente ad Deum elevata, oculisque ad Coelum intentis, una cum spiritu Fidei, et intentione elargiendi Indulgentias dictis Coronis, prius, ut fertur, a Christo Domino divae Birgittae donatas, et postea a S. Sede concessas, vel confirmatas, manu dextera illas Coronas benedicet, dicens his verbis:

In nomine ✠ Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

III.

Benedictio Numismatum, et Imaginum ex metallo confectarum, vulgo Medaglie, e Crocifissi.

Missionarius indutus, ut supra, in spiritu Caritatis, et Fidei, cum intentione concedendi Numismatibus, Crucibus, et Imaginibus ex quocumque metallo confectis, indulgentias ab Ecclesia, pia Matre, concessas, elevata dextera manu, ea omnia benedicens, dicat:

In nomine ✠ Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

IV.

Benedictio, quoad Imagines pictas, vel sculptas.

Huiusmodi Benedictio impartitur iuxta Rituale Romanum.

℣. Adiutorium nostrum etc.

℟. Qui fecit Coelum, et Terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum Imagines, sive effigies sculpi, et pingi non reprobas ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus, et sanctitatem ad imitandam memoriae oculis meditemur: hanc, quaesumus, Imaginem, seu sculpturam in honorem, et memoriam *Unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi*, vel *Beatissimae Virginis Mariae Matris Domini nostri Iesu Chrtsti*, vel *B. N. Apostoli tui*, vel *Martyris*, vel *Confessoris*, aut *Pontificis*, aut *Virginis* adoptatam, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris, et praesta, ut quicumque, coram illa, *Unigenitum Filium tuum*, vel *Beatissimam Virginem*, vel *gloriosum Apostolum*, sive *Martyrem*, sive *Confessorem*, aut *Virginem*, suppliciter colere, et honorare studuerit; illius meritis, et obtentu, a te gratiam, in praesenti, et aeternam gloriam obtineat in futuro. Per eumdem Christum Dominum nostrnm. ℟. Amen. (1)

---

(1) Facultate hac potiantur Sodales nostri, Neapoli, et in Dioecesi, quoties Missiones peragunt; quia ab Archiepiscopo nobis talis est data potestas. In Missionibus vero per Regnum, et alibi, bene ea uti possunt, cum ab cuiusque loci Ordinario eamdem acceperint.

V.

Benedictio Rosarii quinque, decem, aut quindecim decadum.

Indulgentiae huiusmodi apponuntur hac prece, ab Innocentio XI. adprobata.

℣. Adiutorium nostrum etc.
℟. Qui fecit Coelum, et Terram.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens, et misericors Deus, qui propter eximiam Caritatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum Unigenitum Dominum nostrum, de Coelis in terram descendere, et de BB. Virginis Mariae Dominae nostrae utero Sanctissimo, Angelo nuntiante, carnem suscipere, crucemque, et mortem subire, et tertia die gloriose a mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli: obsecramus immensam clementiam tuam, ut haec signa Rosarii in honorem, et laudem eiusdem Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli di-

cata, bene✠dicas, sancti✠fices, eisque tantam infundas virtutem Spiritus Sancti, ut quicumque horum quolibet secum portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit, et in eis ad Te, secundum eiusdem Sacrae Societatis instituta, divina contemplando mysteria, devote oraverit; salubri, et perseveranti devotione abundet, sitque consors, et particeps omnium Gratiarum, Privilegiorum, et indulgentiarum, quae eidem Societati per S. Sedem Apostolicam concessa fuerunt, ab omni hoste visibili, et invisibili semper, et ubique in hoc saeculo liberetur, et in exitu suo ab ipsa BB. Virgine Maria Dei Genitrice, Tibi plenus bonis operibus praesentari mereatur. Per eumdem Chiristum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

VI.

Benedictio Candelarum, quibus Fratres, et Sorores Societatis SS. Rosarii B. M. V. utuntur, in Articulo Mortis, quibusque adnexae sunt Indulgentiae.

℣. Adiutorium nostrum etc.

℟. Qui fecit Coelum, et Terram.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Iesu Christe, lux vera, qui illuminas omnem hominem, venientem in hunc Mundum, effunde per intercessionem Virginis Mariae Matris tuae, et per quindecim eius Rosarii Mysteria, Bene ✠ dictionem tuam super hos cereos, et candelas: et sanctifica eas lumine tuae gratiae, et concede propitius, ut sicut luminaria, igne visibili accensa, nocturnas depellunt tenebras; ita corda nostra invisibili igne, ac Spiritus Sancti splendore illustrata, omnium vitiorum caecitate careant, ut puro mentis oculo cernere semper possimus quae tibi placita sunt, et nostrae saluti utilia; quatenus, post huius saeculi caliginosa discrimina, ad lucem indeficientem pervenire mereamur. Qui vivis, et regnas, cum Deo Patre in unitate eiusdem Spiritus Sancti etc. *Aspergantur aqua benedicta.*

VII.

Benedictio in Articulo Mortis, cum Indulgentia plenaria, danda Fratribus, et Sororibus SS. Rosarii infirmis a nostris Missionariis, tempore Missionis, et ubi non adsunt Conventus Ordinis PP. Praedicatorum.

Forma Benedictionis huius est iuxta formam Innocentii XI.

Dicto Confiteor etc. Misereatur etc. Indulgentiam etc. *subiungit.*

Dominus noster Iesus Christus Filius Dei vivi, qui B. Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam Misericordiam recipiat Confessionem tuam, et remittat tibi omnia peccata, quaecumque, et quomodocumque in toto vitae decursu commisisti; de quibus, corde contritus, et ore confessus es, restituens tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti, et per Indulgentiam plenariam a Summo Pontifice Innocentio VIII. Confratribus Sanctissimi Rosarii, in articulo Mortis constitutis concessam, liberet te a praesentis, ac futurae vitae poenis, dignetur Purgatorii cruciatus remittere, por-

tas Inferni claudere, Paradisi ianuam aperire, et ita ad gaudia sempiterna perducere, per Sanctissima suae Vitae, Passionis, et Glorificationis Mysteria, Sanctissimo Rosario comprehensa, qui cum Patre, et Spiritu Sancto Deus unus vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

VIII.

Benedictio, cum Indulgentiis, donanda Coronis septem decadum, in honorem septem Dolorum B. M. V.

℣. Adiutorium nostrum etc.
℟. Qui fecit Coelum, et Terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Onnipotens, et Misericors Deus, qui propter nimiam Caritatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum Unigenitum Dominum nostrum Iesum Christum pro Redemptione nostra de Coelis ad terram descendere, et carnem suscipere, et Crucis tormentum subire voluisti: obsecramus immensam clementiam tuam, ut hanc Coro-

nam in memoriam septem Dolorum Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli dicatam bene ✠ dicas, et ei tantam Spiritus Sancti virtutem infundas; ut quicumque eam recitaverit, et secum portaverit, atque in Domo sua reverenter tenuerit, ab omni hoste visibili, et invisibili semper, et ubique in hoc saeculo liberetur, et in exitu suo a Beatissima Virgine Maria Tibi bonis operibus coronatus praesentari mereatur. Per eumdem Dominum nostrum etc.

Aspergatur aqua benedicta.

IX.

Benedictio parvi habitus Septem Dolorum B. M. V.

℣. Adiutorium nostrum etc.
℟. Qui fecit Coelum, et Terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui morte Unigeniti tui mundum collapsum restaurare dignatus es, ut nos a morte aeterna liberares, et ad gaudia Regni Coelestis per-

duceres, respice quaesumus super hanc Familiam Servorum tuorum, in nomine BB. Virginis Matris tuae septem Doloribus sauciae congregatam, de cuius gremio hi Famuli tui (*vel* Famulae tuae) esse cupiunt, ut augeatur numerus tibi fideliter servientium, utque omnibus saeculi, et carnis perturbationibus liberati, et a laqueis Diaboli securi, intercessione eiusdem B. M. V., et Beatorum Philippi, et septem PP. Ordinis Servorum Fundatorum, vera gaudia possideant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Completa supradicta hac Oratione, benedicuntur parvi habitus, oratione sequenti.

Oremus.

Domine Iesu Christe, qui tegmen nostrae mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam largitatis tuae abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod Sancti Patres, ad innocentiae, humilitatisque indicium, et in memoriam Septem Dolorum B. M. V., nos ferre sanxerunt, ita bene ✠ dicere digneris, ut qui illis fuerint induti, corpore pariter, ac animo induant Te Salvatorem nostrum. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Postea benedicantur aqua lustrali dicendo: Asperges me hyssopo etc.

Peracta hac benedictione, unusqisque flexis genibus, ponat supra se dictum parvum habitum; et Missionarius dicat:

Accipite Carissimi Fratres (et Sorores) habitum B. M. V. singulare signum servorum suorum, in memoriam Septem Dolorum, quos Ipsa in Vita, et Morte Unigeniti Filii sui sustinuit, ut ita induti, sub eius Patrocinio perpetuo vivatis.

Benedictio Dei Omnipotentis Patris, ✠ et Filii, et Spiritus Sancti descendat super vos, et maneat semper. Amen.

Passio Domini nostri Iesu Christi, et compassio B. M. V. sit in corde, et corpore vestro. Amen.

X.

Benedictio in Articulo Mortis danda Fidelibus, societati septem Dolorum B. M. V. adscriptis, tempore Missionis, a nostris Sacris Sodalibus, ubi non sunt Conventus PP. Servorum Mariae.

Dicto Confiteor etc. Misereatur etc. Indulgentiam etc. *Sacerdos Missionarius hac formula utatur.*

Dominus noster Iesus Christus Filius Dei vivi, qui B. Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam Misericordiam, te absol ✠ vat, recipiatque Confessionem tuam, et remittat tibi omnia peccata quaecumque, et quomodocumque in toto vitae decursu commisisti, de quibus corde contritus, et ore confessus es, restituens tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti: et per Indulgentiam plenariam, a summo Pontifice Paulo V. Confratribus Societatis septem Dolorum B. M. V., in Articulo Mortis constitutis, concessam, liberet te a praesentis, et futurae vitae poenis; dignetur Purgatorii cruciatus remittere, portas Inferni claudere, Paradisi ianuas aperire, teque ad gaudia sempiterna perducere, qui cum Patre, et Spiritu Sancto Deus unus vivit, et regnat, in saecula saeculorum. Amen.

Oremus.

Interveniat pro hoc Famulo tuo infirmo (*vel* hac Famula tua infirma) quaesumus, Domine Iesu Christe, nunc et in hora mortis suae, apud tuam clementiam B. Virgo Maria, Mater tua, cuius Sacratissimam animam in hora tuae Passionis dolo-

ris gladius pertransivit. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas, in saecula saeculorum. Amen.

XI.

Benedictio, seu potius modus erigendi, et instituendi Societatem septem Dolorum B. M. V. a Sodalibus Congregationis S. M. Puritatis, qui hac Facultate pollent, tempore Missionis, et in locis, ubi non sunt Conventus Ordinis PP. Servorum Mariae.

Ego N. N. Sacerdos Congregationis Presbyterorum Saecularium sub titulo Sanctae Mariae Puritatis, Civitatis Neapolis, auctoritate Nobis concessa a Reverendissimo P. Fratr. Iulio Arrichetti, Priore Generali totius Religionis Servorum Mariae, in Ecclesia N. Civitatis N. (vel Terrae N.), Dioecesis N., instituo, erigo, atque planto Societatem habitus septem Dolorum B. M. V., eamque institutam, erectam, atque plantatam declaro cum omnibus Gratiis, Privilegiis, et Indulgentiis, quibus huiusmodi Societates potiri, frui, et gaudere solent ad laudem, et honorem Omnipotentis Dei, Beatae semperque Virginis Mariae,

ac septem Beatorum Patrum Fundatorum Ordinis Servorum, S. Philippi Benitii, ac omnium Sanctorum Dei, ad Animarum salutem.

In nomine Patris, ✠ et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

XII.

Benedictio, seu formula benedicendi, et imponendi Scapulare Caeruleum Conceptionis B. M. V. Immaculatae a Clemente Papa XI adprobata anno 1710 *pro Sodalibus Congregationis S. Mariae Reginae Apostolorum, qui soli hac Facultate gaudent.*

℣. Adiutorium nostrum etc.
℟. Qui fecit Coelum, et Terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Iesu Christe, qui tegmen nostrae mortalitatis induere dignatus es, tuae largitatis Clementiam humiliter imploramus, ut hoc genus vestimenti, quod in honorem, et memoriam Conceptionis B. M. V. Immaculatae, nec non ut illo induti exo-

rent in hominibus pravorum morum reformationem, institutum fuit, bene ✠ dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui eo usus fuerit (*vel* haec famula tua, quae eo usa fuerit), eadem B. M. V. intercedente, Te quoque induere mereatur. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Deinde Sacerdos adspergens scapulare aqua benedicta, nihil dicit; tum illud imponendo, dicit:

Accipe Frater, (*vel* Soror) scapulare Conceptionis B. M. V. Immaculatae, ut ea intercedente, veterem hominem exutus, (*vel* exuta)', et ab omni peccatorum inquinamento mundatus (*vel* mundata), ipsum perferas sine macula, et ad vitam pervenias sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Postea subiungit.

Et Ego, ex Facultate mihi concessa, recipio te ad participationem bonorum omnium spiritualium, quae in Clericorum Regularium Congregatione ex Gratia Dei fiunt, et quae per S. Sedis Apostolicae Privilegium concessa sunt. ✠ In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Demum nomen eius, qui supradictum habitum suscepit, describatur in libro consueto; et ipse dicat trina vice, et flexis genibus:.

Sia lodato, e venerato il SS. Sacramento; e benedetta sia la Purità è l' Immacolata Concezione della Vergine Maria.

Et haec sunt Sacri Sodales, quae ad muneris nobis commissi partes explendas, pro hoc Manuali conficiendo, ut Bernardi verbis utamur, ceu *micas sub mensa Patrum nostrorum, collegimus; et si non ut debuimus, saltem ut potuimus*. Quod si labor hic noster, quem ad Spartam hanc concinnandam, ad Dei gloriam, et in B. M. V. honorem, impendimus, cuiquam vestri videatur quasi puerorum labor, vel quia facili stylo usi sumus, vel quia nullam phrasim selectam adhibuimus; nos primum monitum illum volumus non infimum in hoc opere studium in eo positum esse, ut aperto, et quam maxime fieri posset, intelligibili sermone, omnium captui esset accommodum; tum cum Hieronymo humiliter, sed revera respondebimus ei (1): *aut profer meliores epulas, et nobis convivis utere; aut qualicumque nostra coenula contentus esto.*

De cetero, Fratres, gaudete, perfecti

(1) Apolog. advers. Iovin.

estote, exhortamini, idipsum sapite, pacem habete, et Deus Pacis, et Dilectionis erit vobiscum (1). *Orate pro nobis* (2).

FINIS.

---

(1) Paul. 2. ad Cor. 13. 11.
(2) 1. ad Thes. 5. 25.

APPENDICE

Di talune concessioni accordate dall' attuale nostro Cardinale Arcivescovo, come da un suo foglio trasmesso alle nostre Congregazioni de' PP. Missionarj, che fedelmente a lettera riportiamo.

Essendoci pervenuti a notizia che varii dubbj sogliono insorgere sulle facoltà dei Confessori approvati dalle Congregazioni, e de' così detti Quadriennali: preso esatto conto di ciò che si è praticato sempre in questa Chiesa, abbiamo creduto di dar fuori le seguenti dichiarazioni, onde servire di norma ne' diversi casi per ovviare alle difficoltà, che potranno presentarsi.

Art. I. Per essere alcuno approvato Confessore da una delle quattro Congregazioni, bisogna essere Fratello della medesima, appartenere al Clero Napolitano, o dimorare in Città essendo Diocesano: inoltre che abbia per un' anno o insegnato la Dottrina Cristiana dopo promosso al Sacerdozio, e esercitata la carica di Prefetto in qualche Parrocchia: dippiù che abbia compito il 26 anno di sua età, e non altrepassato il 28. Ben vero potranno le Congregazioni, essendovi una giusta causa, da giudicarsene dalle

rispettive Consulte, esaminare anche coloro che sieno prossimi al 26 anno, purchè abbiano compito gli anni 25 e sei mesi, da esercitarne però la facoltà, compito il 26 non ostante che prima ne abbiano riportata l'approvazione.

Art. II. La consulta di ciascuna Congregazione, previo informo sui costumi dell'aspirante, l'esaminerà per mezzo di tre interroganti, de' quali almeno uno dovrà essere Esaminatore del Clero, benchè non appartenga alla Consulta, nè sia fratello di quella Congregazione. Però se lo Esaminato è approvato da due interroganti, allora la Consulta procederà alla Bussola di voti segreti, a maggioranza dei quali resterà quello approvato: se poi fosse riprovato da due interroganti, allora la Consulta non procederà alla Bussola, e resta quello riprovato. Nel caso che taluno non sia ammesso all'esame da qualche Congregazione, avrà questa la cura di avvisarne le altre pel conveniente regolamento.

Art. III. Chiunque sarà approvato da una delle Congregazioni, potrà esercitare la facoltà di ricevere le Confessioni in tutte le opere delle quattro Congregazioni, quantunque non ascritto a tutte le medesime.

La suddetta facoltà sarà locale, quindi

per chiunque ne' luoghi di dette opere si presenterà anche *ex condicto.* Trattandosi però di opere di donne avrà bisogno l'approvato di aver terminato l'anno 32 di sua età, e sarà la facoltà privativa per le sole donne che apparteranno alle opere: purchè non sieno rinchiuse ne' Conservatorj, per le quali richiedesi l'anno 35 compito, non ostanteche detti sieno delle Congregazioni, e sia da queste facoltato.

Art. IV. I soli fratelli di S. Maria Regina degli Apostoli compito l'anno 32 di loro età potranno ricevere le Confessioni delle rinchiuse de' Conservatorj di S. Gennaro *extra moenia*, come finora si è praticato.

Art. V. Nelle Cappelle dette Serotine potrà ogni approvato da una delle Congregazioni ricevere le Confessioni in tutte le sere dalle ore 23 in poi, ma tanto ne dì festivi, che feriali, accadendo doversi fare le opere della Cappella, sia nelle ore mattutine, sia nelle vespertine, potrà far uso della facoltà di udir le Confessioni, non solo durante il tempo dell' opera, ma fino a che la Cappella sarà pubblicamente aperta.

Art. VI. Lo stesso potrà praticarsi da qualunque approvato dalle dette Congregazioni, ne' luoghi ove tiensi Congregazione

di spirito dipendente dalle opere delle medesime in tutte le volte che si terrà.

Art. VII. Negli Ospedali, Carceri, ed altri Stabilimenti dipendenti dalle Congregazioni, sarà permesso ad ogni approvato udir le Confessioni in qualunque giorno ed ora, meno che per le donne, per le quali si serberà l' ora Canonica e si richiederà l' anno 32 compito.

Art. VIII. Se uno approvato dalle Congregazioni avrà almeno una volta inteso in Confessione qualcuno, che in seguito venisse ad ammalarsi, avrà la facoltà di sentirlo anche nel luogo ove trovasi infermo.

Art. IX. I Confessori approvati dalle Congregazioni a computare dal giorno del di loro esame subito presso le medesime, potranno presentarsi a quello del Quadriennio nel terminare il Biennio, o nell' esame che precede o in quello che sussegue al detto Biennio, in modoche non presentandosi neppure a quest' ultimo cesseranno *ipso facto* le facoltà.

Per avere però la proposta dalla Congregazione deve presentare la fede del Prefetto delle opere esercitate.

Art. X. Sono estese le nostre facoltà già accordate alle tre Congregazioni, come trovansi registrate nel libro de' Privilegj delle

medesime, anche per la quarta della Santissima Concezione di Maria.

Art. XI. Nelle Missioni che si faranno potranno i Superiori, o Prefetti quando il bisogno il richiedesse avvalersi de' Regolari, purchè questi sieno approvati, ed ascritti ad una delle Congregazioni.

Art. XII. Gli approvati pel Quadrienno oltre le facoltà degli approvati delle Congregazioni potranno sempre esercitare il loro Ministero nella Cattedrale, come ancora ricevere le Confessioni de' Sacerdoti *ubique*, e degl' Infermi, e ciò in ogni tempo. Dippiù in quelle Chiese che saranno loro specialmente da Noi concedute potranno far uso delle loro facoltà in tutt' i giorni, e tutte le ore escluse però le mattine delle sole Domeniche, e feste di doppio precetto, in cui soltanto nella Cattedrale potranno ascoltare le Confessioni dei fedeli; e non altrove. Nel caso però, che qualche Confessore Quadriennale avesse ottenuta facoltà di non eseguire il Quadriennio nella Cattedrale, ma in altra Chiesa particolare, in questa soltanto nelle mattine delle sole Domeniche, e feste di doppio precetto potranno ascoltare le Confessioni, e non altrove.

Sarà cura, come per lo passato, del Pe-

nitenziere Maggiore, e del Vicario Curato della Cattedrale *pro tempore*, vegliare sull'assistenze al Duomo de'suddetti Qvadriennali, e raccomandarsi all'uopo coloro che si saranno distinti, ed avranno in più breve tempo intensivamente assistito al Quadriennio per la spedizione della Pagella.

INDEX

PARS II.

PARS III.

X.